This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Ge 110
895
18

J. VAN LEEUWEN

DE

ARISTOPHANE

EURIPIDIS CENSORE.

Ga 110.845.18


FROM
THE LIBRARY
OF
JOHN WILLIAMS
WHITE
A GIFT TO
HARVARD COLLEGE
LIBRARY

John Williams White.

D.G. van BOMMEL
Boekbinder
AMSTERDAM

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE

DE

ARISTOPHANE EURIPIDIS CENSORE.

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE

DE

ARISTOPHANE EURIPIDIS CENSORE,

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JOH. HENR. SCHOLTEN,

THEOL. ET LIT. HUM. DOCT., PHIL. THEOR. MAG., ET IN FAC. THEOL. PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

in Academia Lugdunobatava

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET

JOHANNES VAN LEEUWEN,

NATUS IN PAGO ZEGWAARD,

CALENDIS APRILIBUS A. MDCCCLXXVI, HORA II—III,

IN AUDITORIO MAJORE.

AMSTELAEDAMI,
E TYPOGRAPHEO C. A. SPIN & FILII.
MDCCCLXXVI.

Ga110.845.18

HARVARD COLLEGE LIBRARY
AUGUST 1, 1919
FROM THE LIBRARY OF
JOHN WILLIAMS WHITE

PIAE MEMORIAE

FRATRIS GISBERTI

HAS PRIMITIAS LITERARIAS

SACRAS ESSE VOLUI.

Morem dissertationibus praefandi nondum adeo in desuetudinem abiisse reor, quin mihi liceat paucula verba proloqui gratam testantia mentem erga eos qui in me instituendo impenderunt operam. Inter quos non temporis tantum ordine primus locus debetur patri meo, quem usque ad studia academica habui praeceptorem unicum, adderem, et optimum, nisi scirem quantum oderit encomia. In Athenaeo Amstelaedamensi complures Professores audivi, quibus magnam gratiam habeo et usque habebo. Bene nosti me illud inprimis dicere de Te, Vir Clar. Boot, cujus frequentare scholas nescio mihi utilius an jucundius fuerit. Sine me nominatim Tibi gratias agere, et perge diu, quamquam nunc muneris expers, tum bonis literis favere tum iis quibus contigit tuis fuisse discipulis. Memori etiam animo semper reminiscar Viri Clar. J. Tideman, qui, ut quondam patrem meum, sic oblata occasione me quoque consiliis auxilioque efficaciter adjuvit.

Leidae, secus ac mihi proposueram, paulisper modo commoratus sum, nec tamen sine fructu. A talibus enim praeceptoribus quales ibi inveni vel brevi tempore multum discere licet. Quorum si nomina hic commemorare supersedeo, at pectori meo semper infixa manebunt. Te, reverende Promotor, Vir Clar. Cobet, quantopere suspiciam colamque dicere quid attinet, quum meis praeconiis minime gentium indigeas et meum in Te animum non ignores? Ego vero si quid unquam in literis proficiam, id magna ex parte Tibi acceptum erit referendum, ut qui discipulis non modo antiquitatis amorem instillare

sed indicare etiam soleas eam rectam studiorum rationem, quam ipse jamdudum sequeris plaudentibus et admirantibus omnibus eruditis.

Optime quoque de me meruit Academia Groningana, quae coeptis meis blande arrisit, et magno me dignata honore est. Quare non mea tantummodo causa spero hanc dissertationem — nam ea ipsa est scriptio quam suffragio suo probavit — aliis quoque Viris doctis, quibus forte in manus venerit, non displicituram esse. Caeterum nunquam obliviscar quam humaniter Groningae fuerim exceptus et quam candidos dies ibi transegerim. Ergo jure meritoque vota facio pro istius Academiae salute et prosperitate, quemadmodum ante hos paucos dies exsultavi, discussis tandem nubibus quas ei impendere sciebam. Nunc tuta a periculo, utinam longos in annos vivat, utilis patriae, civibus cara, et nisi magna studiosorum affluentia, at certe Professorum eruditione et celebritate florere pergat.

E studiosae juventutis ordinibus non hoc demum tempore migro, cum ille ego qui nuper inter discentes sedebam nunc jam per aliquot menses in docendo vires meas experiar. Hac tamen utor opportunitate ut vobis valedicam, amici et sodales, quorum dulcem servo mecum recordationem; vivite felices memores et vivite nostri.

Scripsi Amstelaedami exeunte
mense Martio anni MDCCCLXXVI.

PROOEMIUM.

De temporibus quibus vivimus quis nunquam audivit querelas; quis nunquam secum ipse questus est gravem hodierni saeculi conditionem, quum tot passim dissidia notaret, sive ad res religiosas, sive ad politicas, sive ad philosophiam variasque disciplinas attenderet animum? Ubique videmus bina castra in se hostiliter conversa; in alteris ii sunt congregati qui a patribus accepta conservare conantur; altera vero eos continent qui, progressui amicos se gloriantes, novis rebus student; perpauci autem inveniuntur qui, secantes medium quoddam iter, neque illorum neque horum signum sequantur. Non mirum igitur si quis doleat tot rixas, quotidie fere renovatas et saepe cum magna acerbitate conjunctas. Est tamen quod nos soletur. Ex historia enim discere licet, non magnopere hac certe parte nostrum aevum a prioribus discrepare. Nunquam fuit tempus quum omnes idem sentirent de quacunque materie; nunquam defuerunt discordiae de rebus divinis; nulla unquam respublica stetit absque partium diversarum studiis; nunquam non arsit magna illa inter homines disceptatio, ut alteri ea quae sunt (aut quae esse putant) servare, alteri nova et incognita sequi malint, spernentes ea quae jam parta videant. Scilicet nunquam homines caruerunt eo ingenio, quod eos a brutis animalibus secernens, cogit veritatem quaerere et ad perfectionem niti. Neutram nunc sumus assecuti, neque olim homines tenebant; sed duplicem rationem ineunt ut ad eam propius accedant; alii enim, dum vident praesentia multimodis esse vitiosa, in deterius nos putant ruere, et pristina tempora praestantiora fuisse jactant;

saepe autem noto errori indulgentes potius quam ex historia se edoceri patiantur, ea quae fuere tam pulchra imaginantur, ut abavi miraturi essent si, ab inferis reduces, possent videre quam decoram et ipsorum et temporis quo vixerunt effigiem nepotes sibi informaverint. Altera vero pars hominum, et inter hos non raro ii in quibus maximum robur ingenii, suis viribus confisi, legi aeternae obedire malunt quae vetat quicquam consistere in quiete. Hi autem ne incidant in errorem contrarium non minor est cautio; dum enim nota nimis parvi habent et in ignotis omnem spem ponunt, facile adducuntur ut in quovis motu progressum latere suspicentur et quibuslibet mutationibus temere plaudant; ac dum solidam terram non satis spatii sibi praebere existimant, non raro fit ut in immensum aethera se tollant, audacia duce et auspice sola, mox nubem pro dea amplexuri aut liquefactis pennis vitreo daturi nomina ponto.

Me quidem si quis roget utris partibus me addicam, non sane negem me potius velle progredi quam semper eodem loco manere aut etiam recedere; et si omnino pereundum esset, mallem ut Icarus, qui saltem, dum "coeli cupidine tractus altius egit iter," ad solis viciniam accesserat, puris maris fluctibus obrui, quam ut Cimmericus barbarus cum lutulenta gleba concrescere, vix praestantior ostreâ quae rupi adhaeret. Sed per breves qui adhuc mihi concessi fuerunt annos hoc certe vita me docuit, non primos metam attingere qui inconsideratis nisibus provolent simulac carceribus emittantur, sed majorem iis spem esse vincendi qui lente festinent, et certiores quam celeriores ponant gressus, caventes ne labantur nec vires praeconsumant, bene memores quantum spatii decurrendum restet.

Hinc fit ut, quemadmodum laetari soleo, humano generi inditum esse sacrum ardorem, quo sursum tendere impellitur, sic summae etiam Sapientiae documentum existimem, quod sublimis ille motus temperatur terrae quodam amore, qui prohibet quominus, firmo solo relicto, mens humana non habeat quo innitatur. Binarum

partium, quarum hae servant, illae mutant; hae nota tuentur, illae ignota petunt; hae auctoritatem, saepe serviliter, vindicant, illae libertatem, eamque non raro effrenam, — harum igitur partium studia mutuo se complent ut arsis et thesis, ut duae lances quas copulat jugum, ut nigrum albumque, et quaecunque alia inter se opposita et tamen sibi invicem necessaria nominare possem. Non staret mundus, ne per unum quidem diem, nisi vis centrifugalis compensaretur vi centripeta: non homines vere homines essent, nisi sentiendi rationi quam liberalem vel radicalem (ut vocabulis utar parum Latinis) appellare solemus sociata esset altera ea quam vocamus orthodoxam vel conservativam.

Quicquid id est, operae sane pretium videtur ex priorum aevorum reliquiis literariis ostendere, antiquitus iisdem ac hodie procellis mentes humanas fuisse jactatas; neque incolas civitatum, quae ante multa saecula ad Ilissum vel ad Tiberim floruere, tantopere a nobis discrepasse, sed habuisse eadem studia, in eosdem errores incidisse, eadem exercuisse odia.

Id luculento quodam exemplo demonstrare mihi proposui ex literis Graecis petito. Nota est inimicitia quae intercessit inter Aristophanem et Euripidem; sed tum demum plane intelligi et recte judicari mihi posse videtur, cum late circumspicimus, non solum temporis et populi habita ratione, sed etiam legum universarum quibus mentes mortalium et humana cuncta obtemperant. Si bene intuemur, agnoscimus antesignanos earundem prope factionum et opinionum, quae per totam historiam sunt obviae, nec valde diversum agi bellum apparet ab eo, quod nostris temporibus multifariam aestuare videmus: novum inter et antiquum. Utriusque poetae ingenium et studia non possunt explicari nisi ex ochlocratia Attica, quae eorum aetate gliscebat: haec utrumque genuit, neque sane fortuito evenit ut idem temporis breve spatium ferret cum tragoediam Euripideam tum Aristophanis comoediam veterem; sed eadem vis, eorum saeculo insita, quae Euripidem protulit in lucem, ut verba face-

ret pro novi aevi studiis et antiqua cuncta impugnaret [1], per legem illam aeternam modo commemoratam effecit ut etiam surgeret Aristophanes [2], qui veterem πολιτείαν Soloneam ejusque opiniones adversus eos qui novas res molirentur defenderet.

De ista pugna, si veris nominibus ficta substituere licet, jure praedicari potest verbis Maronis: Certamen erit Corydon cum Thyrside magnum. Non leve certe pondus addit dimicationi utriusque promachi claritudo, ut magis attendimus si Achilles cum Hectore est congressurus, quam ubi de Myrmidonibus gregarium militem videmus in Trojanum quempiam irruere. Neque in ignobili palaestra certamen fit: pro arena est Atheniensium civitas, quo tempore ad ipsum suae gloriae fastigium pervenerat et jam in abyssum vergebat, in quem, quo altius eminuerat, eo graviore casu mox erat delapsura.

Sed ne regulae Horatianae:

"non sic incipies: cantabo nobile bellum"

oblitus esse videar, verbum non addam quo monomachiam quam sum descripturus extollam, ne post erubescam, admonitus hujus quoque dicti Horatiani: "quid tanto hiatu dignum tulisti?" Disseram de Aristophane, severo Euripidis judice, pro mea virili: veniam, si minus satisfecero, ab aequis lectoribus, quibus rei difficultas est cognita, impetraturus ut spero majorem, quam huic ab illo unquam fuit concessa.

---

[1] Bene rem perspexit Bernhardius Griech. Liter. II, 2 pag. 396 (et saepius): "Euripides ist Dichter und Organ der Ochlokratie."

[2] Idem pag. 579: »die alte Komödie stand und fiel mit der Ochlokratie." Libri hujus saepe adhuc laudandi paginas citabo ex editione tertia anni 1872.

CAPUT I.

DE CAUSIS ODII ARISTOPHANIS IN EURIPIDEM.

Non facile, si fingendi libertatem tibi sumeres, duorum hominum ingenia delineare posses magis ab omni parte sibi contraria, quam summi illius comici et praeclari illius tragici fuere; neque ita tamen discrepantia ut comparationis instituendae desit omnis opportunitas, veluti si Aristotelem Anacreonti conferre velles aut Homero mathematicum Euclidem; sed quemadmodum ortus et vesper, ita diametrali fere oppositione inter se distant Euripides et Aristophanes. Hic gaudebat vita, quam hilariter peragere optimum censebat; pronus ad risum, eumque salsum quidem sed late diductis labris non ita delicatum; — ille a laetitia alienus, partim naturâ, partim ex philosophiae quam sequebatur praeceptis, ne inter pocula quidem ridere sciebat[1], non jocandi

[1] Alexander Aetolus apud Gellium XV : 20, 8:

ὁ δ' Ἀναξαγόρου τρόφιμος χαιοῦ στρυφνὸς μὲν ἔμοιγε προςειπεῖν,
καὶ μισογέλως, καὶ τωθάζειν οὐδὲ παρ' οἶνον μεμαθηκώς,
ἀλλ' ὅ τι γράψαι τοῦτ' ἂν μέλιτος καὶ σειρήνων ἐτετεύχει.

Item Aelianus VIII, 13 tradit, Ἀναξαγόραν μὴ γελῶντά ποτε ὀφθῆναι.

Ex unico satyrico dramate quod aetatem tulit, Cyclope, apparet me judice quam alienum a lusu risuque ingenium habuerit Euripides. Non possum quin frigidissimas censeam illas facetias tragici. Vix jocosior mihi videtur quam ludimagister morosus, qui per totum diem agitata ferula, ut animum resumant discipuli trementes, narrat iis aliquid ridiculi.

Ex novo argumento Alcestidis quod praebuit codex vaticanus, primus effecit Glumius hanc fabulam ab Euripide esse compositam, quae ultimo loco tetralogiae pro satyrico daretur. De hac conjectura, quam Dindorfius Poet. Scen. prol. ad Eur. pag. 21 veram judicat, nec non Bernhardius Gr. Lit. II, 2, pag. 116 et 461 sqq., videndus est G. Hermannus proleg. ad Cyclop. pag. 7 sqq. Si vera tradita sunt in illo argumento, hinc

sed potius plorandi materiem ducens vitam humanam, ipse acerba expertus non pauca [1]. Alter philosophiam,

---

quoque liquet quam penitus Euripides odio habuerit jocos, quum pro satyrico dramate, cachinnis excitandis destinato, scripserit fabulam semitragicam, aliquatenus quidem a vera tragoedia discrepantem et non ita seriam (*σατυρικωτέραν* vocat hypotheseos scriptor), sed prorsus tamen ad modulum tragicum confectam.

[1] Ex Bellerophonte (?) hoc fragmentum est servatum (fragm. 285 Wagn. 287 Dind.):

ἐγώ, τὸ μὲν δὴ πανταχοῦ θρυλούμενον,
κράτιστον εἶναί φημι μὴ φῦναι βροτῷ etc.

Huc quoque vocandus est locus ille, Aristophani saepe agitatus, qui quum studium rhetoricarum antitheseôn, tum animum proclivem ad moestitiam nec vitae valde amicum ostendit:

τίς δ' οἶδεν εἰ τὸ ζῆν μέν ἐστι κατθανεῖν,
τὸ κατθανεῖν δὲ ζῆν κάτω νομίζεται;

quod fragmentum e Polyido sive Glauco (fragm. 634 Wagn. 639 Dind.) simillimum est alteri loco e Phrixo qui extat apud Stobaeum 120, 18 (fragm. 821 Wagn. 830 Dind.):

τίς δ' οἶδεν εἰ ζῆν τοῦθ' ὃ κέκληται θανεῖν,
τὸ ζῆν δὲ θνήσκειν ἐστί; πλὴν ὅμως βροτῶν
νοσοῦσιν οἱ βλέποντες, οἱ δ' ὀλωλότες
οὐδὲν νοσοῦσιν οὐδὲ κέκτηνται κακά. — Conf. Ar. Ran. vs. 1082 et Schol. ad vs. 1477.

Addam nobile fragmentum ex Hypsipyle (fragm. 752 Wagn. 757 Dind.):

ἔφυ μὲν οὐδεὶς ὅστις οὐ πονεῖ βροτῶν,
θάπτει τε τέκνα, χἄτερ' αὖ κτᾶται νέα,
αὐτός τε θνήσκει· κοὶ τάδ' ἄχθονται βροτοὶ
εἰς γῆν φέροντες γῆν. ἀναγκαίως δ' ἔχει
βίον θερίζειν ὥστε κάρπιμον στάχυν,
καὶ τὸν μὲν εἶναι, τὸν δὲ μή· τί ταῦτα δεῖ
στένειν, ἅπερ δεῖ κατὰ φύσιν διεκπερᾶν;
δεινὸν γὰρ οὐδὲν τῶν ἀναγκαίων βροτοῖς.

itemque hos e Phoenice versus (fragm. 808 Wagn. 813 Dind.):

ὦ φιλόζωοι βροτοί,
οἳ τὴν ἐπιστείχουσαν ἡμέραν ἰδεῖν
ποθεῖτ', ἔχοντες μυρίων ἄχθος κακῶν.
οὕτως ἔρως βροτοῖσιν ἔγκειται βίου.
τὸ ζῆν γὰρ ἴσμεν, τοῦ θανεῖν δ' ἀπειρίᾳ
πᾶς τις φοβεῖται φῶς λιπεῖν τόδ' ἡλίου.

Possis etiam conferre e Medea hos versus (1224 sqq.) quos nuncius dicit:

τὰ θνητὰ δ' οὐ νῦν πρῶτον ἡγοῦμαι σκιάν etc.

quam noscere non putabat operae pretium, pessime perosus, contra antiquitatis amans et fervidus patrum admirator, diffidebat novatoribus, et omnes mutationes invitis aspiciebat oculis, quum certa et usu cognita, ut a majoribus tradita erant, pro spe ancipite deserere nefas haberét, nec tam sanctae haereditatis vel minimam particulam tolerare posset a quoquam sibi eripi; — alter praesentia contemnebat, et novas vias ingressus, ope dialecticae et rhetoricae artis, quam ad unguem callebat, de receptis opinionibus et institutis cum diligenter inquirere tum subtiliter disputare amabat; et quicquid in iis obsoleti aut parum probabile offenderet, nulla religio erat abjicere tanquam scorias a metallo detractas.

Satis ostendi quam penitus dissimilia fuerint Euripidis Aristophanisque ingenia. Unum tamen addendum est ut probe capiamus, cur non possent diversas vias sequendo sine rixis degere vitam, sed fatali quadam necessitate alter in alterum incitari deberet. Fuere qui mirum quid sibi viderentur conferre ad recte intelligendum odium quo Euripidem prosecutus est Aristophanes, ubi allegarent tritum versiculum Hesiodeum de ἀοιδῶν φθόνῳ [1]. Nos in tam nugatoria explicatione non acquiescemus; sed cum primaria causa hujus simultatis jam manifesta sit, secundaria quoque ut appareat, reputemus nobiscum quo tempore vixerit uterque. Aristophanes, minime segnis civis sed patriae amantissimus, eam videbat de gloriae culmine sensim labi in deterius, et tandem misere prostratam luxit. Cum Euripide tamen contendit, Athenis adhuc stantibus intactis, sed quo tempore, ut erat multis suorum civium perspicacior, jam passim notabat internam corruptelam, quae labis externae, mox secuturae, extabat causa. Vere ingens malum ducebat effrenatam ochlocratiam, quae gliscebat post

[1] Vid. e. g. Frischlinus in Ranarum expositione apud Kusterum.

Periclis mortem: ideo optimatium partibus se addixit [1], nec. quicquam habuit antiquius quam ut tempora Aristidis et Cimonis revocaret [2], pro viribus suis, multo quidem majoribus quam hodiernus poeta praestare posset in rebus politicis, sed ita tamen ut minus ille valeret versibus quam alii multi aut opibus aut gladiis [3]. Beatus autem vocandus est, quod per longos annos nunquam desperavit quin per sua carmina restitueret civitatis civiumque conditionem pristinam, et tempora praeterita ex orco protraheret ut Aeschylum in Ranarum comoedia [4]; qua in re nescias utrum magis mireris errorem judicii, quo id fieri posse putabat quod nunquam factum est neque fiet, ut temporis fluctus retro volvantur, an invictam animi constantiam, qua nunquam averti se passus est a scopo quem attingere enitebatur, donec Peloponnesiaci belli exitus eum docuit nullam spem superesse miserae patriae.

Quum vero inquireret in causas istius ochlocratiae, qua aedem Soloneae πολιτείας ita jam suffossam conspiciebat ut mirum videretur eam nondum prorsus corruisse [5], nullam inveniebat aut propiorem aut magis exsecrabilem quam eloquentiae abusum. Hinc odium ei natum implacabile in subtilem disputandi artem quae ejus temporibus ex scholis sophistarum in vitam communem irrumpebat. Neque in rebus divinis aliter ac in humanis

---

[1] Quum Euripides magis faveret democratiae, cf. Ran. vs. 952 sq.

[2] Sic Demus, postquam in Equitum fine recuperavit vigorem et virtutem, apparet οἱόςπερ Ἀριστείδῃ πρότερον καὶ Μιλτιάδῃ ξυνεσίτει. (vs. 1326).

[3] Vesp. vs. 650 sq. vere sic Aristophanes de suis studiis loquitur:

χαλεπὸν μὲν καὶ δεινῆς γνώμης καὶ μείζονος ἢ 'πὶ τρυγῳδοῖς,
ἰάσασθαι νόσον ἀρχαίαν ἐν τῇ πόλει ἐντετοκυῖαν.

[4] Cf. Bernhard. pag. 630.

[5] Partim jocans partim seria agens Nubium vs. 587 sqq. et Eccles. 473 sqq. commemorat λόγον γεραιτέρων, dictum a majoribus acceptum, Atheniensibus esse δυσβουλίαν quandam, sed deos mala inde fluentia in bonam partem vertere solere.

sentiebat, sed hîc quoque resistebat omnibus novitatibus, ut patrium cultum deorum integrum servaret.

Si quis autem hac in re Aristophanem parum sibi constitisse censeat, quum ex ipsius scriptis collegerit, tam leviter eum de diis cogitasse ut vix intelligatur cur operae pretium habuerit pro iis in arenam descendere, hoc velim secum reputet: cultum deorum apud antiquos populos partem fuisse reipublicae, ita ut quicunque in civitate regunda vellet antiqua tueri, necessario fere in religione esset orthodoxus; neque Aristophanem, pro ingenii acumine, potuit latere, mutationibus in rebus sacris ipsam tangi, et saepe concuti, civitatem, quum contra religiose servatus cultus deorum, qualis a patribus sit traditus, permultum conferat ad confirmanda caetera quoque majorum instituta.

Novitates igitur Aristophanes male exosus, a sophistarum doctrinis abhorrebat. Euripides vero, qui utrasque sequebatur et profitebatur, ejus judicio signifer erat hominum nova molientium et patriam brevi perditurorum [1]. Hunc igitur promachum ut opprimeret omnibus viribus nisus est, et in eo lacessendo valde fuit pertinax. Jam in prima enim comoediarum quae ad nos pervenerunt [2] Euripidem tenet arreptum, neque per viginti annos unquam missum fecit; quin "iram illam capitalem," vel acriorem quam quae fuit inter Priamiden et Achillem, ne "ultima quidem mors divisit;" nunquam enim ferocius vellicavit tragicum quam recens mortuum in palmaria illa Ranarum comoedia. Scilicet, quum alios adversarios,

---

[1] Ut utar verbis Mommseni, sesquipedalibus sed tamen rem bene exprimentibus: „Euripides ist der erste und oberste Apostel der neuen die „alte attische Volksthümlichkeit auflösenden kosmopolitischen Humanität." (Röm. Gesch. [6] I, pag. 909.)

[2] Acharnensibus. Etiam in Proagone Euripidem carpsit; vd. schol. ad Vesp. 61. Autolycum (?), Erechthea (?), Polyidum, Phoenissas ad Euripidis cognomines fabulas deridendas scripsisse videtur Aristophanes.

Cleonem, Hyperbolum, non amplius infestasset Aristophanes, ubi prostratos videret rebus adversis vel morte [1], Euripidem etiam mortuum vivere intellexit per scripta sua [2]; nam satis bonae mentis ei erat ut quem oderat et perniciosum existimabat, non item contemneret; imo adversarium sciebat fortem, bene armatum sibique parem [3].

Neque mirari debemus, in eligendis telis quibus tragicum confoderet non ita difficilem se praestitisse Aristophanem. Durius sane videri possit et ex nostrorum

---

[1] Vd. Nub. 549 sqq. (de quo loco insigniter aliquando erravit G. Hermannus de Metr. R. et Gr. p. 380, veriora tamen proferens in suae Nubium editionis adnotatione ad hunc locum), collatis Pac. 648 sqq.

Non igitur, nisi in uno Euripide, negligere solebat praeceptum communis humanitatis, ab Archilocho sic expressum:

οὐ γὰρ ἐσθλὰ κατθανοῦσι κερτομεῖν ἐπ' ἀνδράσιν,

vel ut Euripidis citem versum:

τί τοὺς θανόντας οὐκ ἐᾷς τεθνηκέναι; (fragm. e Melanippe; 505 Wagn. 510 Dind.) — Soph. Ajac. vs. 1344:

ἄνδρα δ' οὐ δίκαιον, εἰ θάνοι,
βλάπτειν τὸν ἐσθλόν, οὐδ' ἐὰν μισῶν κυρῇς.

[2] Scio Ranarum vs. 868 sq. plane contrarium continere. Tempus fuit quum ideo verba Aeschyli: *ἡ ποίησις οὐχὶ συντέθνηκέ μοι, τούτῳ δὲ συντέθνηκεν* vertere vellem: *ars poetica non simul mecum obiit* (superstitibus sc. aliis bonis tragicis) *sed simul cum hoc obiit*, quod verum erat, ut ipse quoque Dionysus supra vs. 71 sqq. dixerat, nam fere eodem tempore quo Euripides, obierat Sophocles, abierat Agathon, nec jam supererat tragicus tolerabilis. — Sed tamen minus adaptatam fateor hanc sententiam contextui, itaque vertam potius ut solent: *mea enim opera non simul mecum obiere* (aere perenniora scripsi), *hujus vero scripta non longaeviora fuerunt ipso:* quo acerbo Aeschyli joco non tamen veram Aristophanis opinionem exprimi puto.

[3] Vid Proleg. ad Aristoph. XIII Dind. (= fragm. 397; schol. Plat. pag. 330 Bekk.) ubi Cratini hi versus citantur:

τίς δὲ σὺ κομψὸς... τις ἔροιτο θεατής·
ὑπολεπτόλογος, γνωμιδιώκτης, εὐριπιδαριστοφανίζων.

et ipsius Aristophanis hoc distichon:

χρῶμαι γὰρ αὐτοῦ τοῦ στόματος τῷ στρογγύλῳ,
τοὺς νοῦς δ' ἀγοραίους ἧττον ἢ 'κεῖνος ποιῶ.

in quo vituperationem praecedit laus "ori rotundo" Euripidis tributa.

temporum moribus prorsus non ferendum, quod Euripidis humiles natales et domestica calamitas praebuerunt materiem acerbissimorum conviciorum. Quoties ei exprobrata est mater olera venditans Clito, "agrestis illa dea", unde "agrestes suos mores" duxerat [1]; quam saepe apertius obscuriusve ad uxoris infidelitatem alludit Aristophanes, parum memor aureae regulae quam in Ranis [2] tam graviter edit Aeschylus: "decet poetam non quidvis effutire, sed quae turpia sunt oblivioni dare." Talis modus adversarium opprimendi, hodiernae qua gloriamur urbanitati repugnans [3], judicari debet habita antiquorum morum ratione; cogitemus quaeso quanta apud veteres fuerit dicendi libertas, quantamque inprimis in scena comica licentiam offenderit Aristophanes [4]. Fortiter odisse antiqui homines laudi duxerunt, neque profecto hanc laudem Aristophani abnuere possumus.

Ubi jam descripturi sumus et dijudicaturi ea quae Aristophanes objecit Euripidi, non potest quin aegre feramus quod utriusque scripta non modo non integra ad nos pervenerunt, sed longe maxima eorum pars temporis injuria nobis est sublata. Nunc enim non paucae accusationes tantummodo ex brevibus fragmentis, apud scholiastas servatis, dignosci et illustrari possunt; fa-

---

[1] Acharn. 457, 478; Equit. 18 sq.; Thesmoph. 387, 455; Ranar. 840; cf. etiam Thesmoph. 910 cum Schol.

[2] Ran. 1054 sq.

[3] "Il faut avouer que les allusions à la profession de la mère d'Euripide "sont misérables. Qu'y a-t-il en effet de piquant à rappeler qu' Euripide "est fils d'une verdurière? Qu'est-ce que cela peut enlever au mérite "du grand poète? Entre deux hommes ou deux arbres dont les têtes "sont au même niveau, est-ce que celui qui part de plus bas n'est pas réelle-"ment le plus grand des deux? Ainsi l'on doit reconnaître qu'ici la pensée "d'Aristophane ne vaut pas mieux que ses sentiments." — E. Deschanel, Études sur Aristophane, pag. 247.

[4] "Die Grenze zwischen dem Cynismus der Gattung selbst und... den "persönlichen Geschmäcken der Komiker ist schwer zu bestimmen." — Bernhard. pag. 621.

bularum autem Euripidearum, quas prae caeteris comico aceto adversarius perfudit, pleraeque perierunt, Telephus, Andromeda, Melanippe, Bellerophon, multaeque aliae; e superstitibus solae Hippolytus, Hecuba, Helena videntur a comico attentius esse exploratae. Periere porro imitationes dramatum Euripideorum, quas ex eadem divite vena, quae Aristophanem nunquam defecit, haustas fuisse, et multa continuisse ad judicium de Euripide pertinentia, quis est qui dubitet? E caeterorum autem comicorum fabulis, quibus ἀνασελγαινόμενος Εὐριπίδης aliquando trita fere materies fuit [1], nihil omnino aetatem tulit.

Quae tamen supersunt utriusque poetae scripta, non tam sunt pauca quin ex iis satis accurate possit colligi, quid et quo jure alter de altero judicarit, vel — quod eodem redit — in altero vituperarit; nam laudanda si qua in Euripide invenit comicus, nunquam effatus est. Sed hoc plura in eo condemnavit, quae non male ita me dividere et ordinare puto, ut dicam tragicum ei visum esse *deorum contemtorem*, πολυμήχανον [2], *in scena philosophum et rhetorem*, *morum corruptorem*, *tragicae dignitatis perditorem*, *malum* denique *in fabulis componendis artificem* et *in versibus pangendis importunum novatorem*.

De his igitur criminibus singulatim jam erit videndum.

---

[1] Arist. Vesp. 61.

[2] Hoc vocabulum, quod suo loco explicabitur, elegi, quia nulla dictione Latina eadem res acque perspicue designatur.

CAPUT II.

EURIPIDES ἄθεος.

§ 1. *Quid Aristophanes hac de re dixerit.*

Primo loco in censum venit impietatis accusatio, omnium gravissima.

Non exiguum profecto crimen erat, si quis Athenis istis temporibus ἀσεβείας insimularetur. Damnati Anaxagoras, Diagoras, alii, solum vertendo vix mortem effugerant; Socratis supplicium mox probaturum erat, laudem pietatis, qua Athenienses gloriabantur, ab iis servatum iri quovis modo, vel per tribunal et cicutam [1]. "Tantum religio potuit suadere malorum!" [2]

Qualis vero erat illa pietas, quam Athenienses tanti faciebant ut inter blanditias, quibus poetae spectatorum animos delenire studerent, usitatissimum esset laudare εὐσέβειαν Atticae civitatis [3]? Fatendum est, si accuratius inquiras, vix quicquam praeter cassam nucem inveniri: vetusta solemnia, praescriptos ritus, carmina sacris verbis concepta, fabulasque permultas. Hinc vel minimam detrahere particulam, scelus censebatur; sed quotusquisque

[1] Renan les Apôtres, pag. 314: "Il ne faut pas l'oublier, Athènes avait "bel et bien l'inquisition. Les dieux, qu' Aristophane bafouait sur la scène, "tuaient quelquefois. Ils tuèrent Socrate, ils faillirent tuer Alcibiade. "Anaxagoras, Protagoras, Théodore l'Athée, Diagoras de Mélos, Prodicus "de Céos, Stilpon, Aristote, Théophraste, Euripide furent plus ou moins "sérieusement inquiétés."

[2] Lucret. I, 102.

[3] Ut de aliis taceam poetis, non a re videtur hic meminisse, ex Euripidis servatis fabulis duas in laudem Atticae εὐσεβείας esse compositas, Supplices et Heraclidas: Thesei in illa, in hac Demophoontis pietas celebratur.

inter omnes illos pios deorum cultores unquam de diis serio cogitaverat, et ea quae auribus acceperat vel labris enunciare solebat in animum quoque recipere fuerat conatus? Fieri sane potest ut caecus quidam horror, insita quaedam reverentia coelicolûm comitaretur istos ritus a majoribus acceptos; sed non tamen dubitandum puto quin de Attica pietate jure dicere possis quod vulpes de persona bene facta: tam bellum caput cerebrum non habet; extra decora multa, intus solidi nihil.

Sed pietas illa, δεισιδαιμονίᾳ vicina, quo minus altas agebat radices, eo impatientior erat disputationum philosophicarum. Sic arbori firmiter solo inhaerenti nihil obest si serpentia circa pedem lolia tollas muscumque a cortice avellas, sed potius proderit, patefactis aëri pluviaeque aditibus unde novos succos ducat; sed caute rastrum agitandum erit inter stirpes cariosas et annis exesas, ne cum inutilibus herbis succidantur simul radices, quae supersunt paucae et putres. — Aristophanes mihi videtur hac in parte similis fuisse plerisque e suis civibus. De rebus theologicis parum cogitaverat; de diis num essent dubitare vix poterat, quum nunquam serio ad hanc gravem quaestionem animum attenderet; ridicule saepissime eos depinxit, sed magnopere tamen succensuisset si quis ei objecisset, ea quae per jocos non raro scurriles de diis in scena diceret, impietatis posse argui. Deridendos praebuit non modo senes σιβυλλιῶντας et χρησμολόγους oracula venditantes [1], non tantum deorum ministros Lamponem [2], Diopithen [3] jocose tractavit, sed ipsos quoque deos patrios summa cum libertate traduxit. Hercules, ut alter Esavus, stolide vorax, et prae succulento cibo jura coelitum nihil curans, in Avibus et in Ranis risui est; Dionysus turpiter ignavus, glo-

[1] In Equitibus, Avibus, Lysistrata.

[2] In Avibus vs. 522 et 983.

[3] Equit. vs. 1085.

riosus, mulierosus, in Ranis offertur cachinnis spectatorum; Hermes fame vexatus apparet in Pluti fine, a servo sibi panis crustam petens; idem servus paulo ante narravit ut Aesculapio in ejus fano oppederit praesenti. In Avium salsissima comoedia Athenienses duo, avium genti imperantes, deos a terra intercludunt, quos mox *βουλιμιῶντας* cogunt secum pacisci. Ejusdem farinae hi versus in Pluto videntur, de ipso Jove dicti, vs. 124 sqq.:

οἴει γὰρ εἶναι τὴν Διὸς τυραννίδα
καὶ τοὺς κεραυνοὺς ἀξίους τριωβόλου,
ἐὰν ἀναβλέψῃς σὺ κἂν μικρὸν χρόνον; [1]

Parum reverenter igitur loqui solebat de diis; impius tamen vocari nullo pacto volebat, quin ipse sibi videbatur esse pius. Sed cultum illum deorum, vix ullis fundamentis nitentem, si quis rationis armis sollicitaret, defendere non poterat [2], eoque aegrius ferre debuit quasli-

[1] Vide praeterea Bernhard. ll. pag. 621: "Wir kennen vielleicht nur die winzigsten Kapitel der *γελοῖα*: kaum ahnen wir die schlimmen Travestien und burlesken Scenen aus der Mythologie,... deren Aristophanes unter den abgenutzten komischen Themen Vesp. 60 gedenkt." etc.

[2] In Nubibus sunt versus aliquot qui mihi hac in re non exigui momenti videntur. Illo loco de fulminis causa agitur. Senex rusticus a Jove repetit; Socrates autem rogat: "qui fieri possit, si Jupiter mittat fulgura, ut (vs. 399 sqq.)

οὐχὶ Σίμων' ἐνέπρησεν,
οὐδὲ Κλεώνυμον οὐδὲ Θέωρον; καίτοι σφόδρα γ' εἰσ' ἐπίορκοι.
ἀλλὰ τὸν αὑτοῦ γε νεὼν βάλλει καὶ Σούνιον ἄκρον Ἀθηνέων
καὶ τὰς δρῦς τὰς μεγάλας· τί παθών; οὐ γὰρ δὴ δρῦς γ' ἐπιορκεῖ."

Quid vero respondet Strepsiades senex ad hanc minime vanam quaestionem, quam tam aptis verbis exprimere non potuisset Aristophanes, nisi ipse quam gravis esset sentiret? nihil praeter haec duo verba: *οὐκ οἶδα*. Sic est, nesciebat, et ipse poeta nesciebat, sed scire non curabat. Tam flexilis ei est doctrina de diis, ut Jovem potentem simulque potentem Aethera possit revereri, ut ostenditur hoc cantico, ubi seria aguntur, Nub. vs. 563—570:

ὑψιμέδοντα μὲν θεῶν
Ζῆνα τύραννον ἐς χορὸν
πρῶτα μέγαν κικλήσκω·
τόν τε μεγασθενῆ τριαίνης ταμίαν,
γῆς τε καὶ ἁλμυρᾶς θαλάσσης ἄγριον μοχλευτήν·
καὶ μεγαλώνυμον ἠμέτερον πατέρ'
Αἰθέρα σεμνότατον, βιοθρέμμονα πάντων.

bet philosophorum de his rebus disceptationes. Quia vero sceptica argumenta refellere non valebat, philosophis succensebat, et comoediam composuit Nubes, ut ridendo perderet sophistarum novam gentem, probe sibi conscius quanta vis sit derisionis ad opprimendas eas opiniones quas solidis rationibus redarguere difficile sit.

In hac igitur fabula Socrates, cujus nomine omnes asseclae philosophiae recentis agitantur [1], describitur disertis verbis ut deorum contemtor. Quaecunque vero in eum dicuntur, cadunt etiam in Euripidem [2], sectatorem Socratis quem hic habebat in paucis carum, ita ut feratur adiisse theatrum quoties Euripides nova tragoedia certaret, alioqui scenae fastidiosus [3]; quin Euripidem in carminibus pangendis a Socrate adjutum fuisse innuunt versus quidam Teleclidis [4]. Etiamsi igitur non nominatim peteretur

---

[1] Hoc omnino tenendum si quis recte velit intelligere illam festivam comoediam sed in Socratem valde iniquam. Quo tempore Nubes sunt actae, Socrates vix innotuerat Aristophani nisi ex populi sermone, multa de viri moribus ac studiis circumferente, inepta plerumque et mirifica, ideoque risibus aptam praebentia materiem (vd. Nub. 362 sq.); neque igitur comicus scire poterat quanto intervallo sophistae et verae hic sapientiae sectator a se invicem distarent. Alia ratione explicari nequit cur dicat comicus, Socratem praesentibus nummis docere veteratoriam facundiam (Nub. 98 sq., ad quem locum vera quaedam observat scholiasta); aut cur tam multus sit in deridendis studiis meteorologicis et physicis, quibus Socrates multo minorem operam dedit quam Anaxagoras aliique.

Haec breviter et in transitu notavisse sufficiat. Perbene meo judicio Kockius rem exposuit in prolegomenis ad suam Nubium editionem.

[2] Bernhard. ll. pag. 404 infr.: "ihre (Socratis et Euripidis) Gemeinschaft ist die Voraussetzung für den ganzen Bau der Nubes, wo mit künstlerischem Geist aus beiden Individuen, Socrates dem practischen Sprecher, Euripides dem Vertreter des Dogmas und der Theorie, das Bild einer schlimmen Afterweisheit geformt wird." Cf. etiam pag. 647.

[3] Aelian. Var. H. II: 13: *ὁ δὲ Σωκράτης σπάνιον μὲν ἐπεφοίτα τοῖς θεάτροις, εἴποτε δὲ Εὐριπίδης ὁ τῆς τραγῳδίας ποιητὴς ἠγωνίζετο καινοῖς τραγῳδοῖς, τότε γε ἀφικνεῖτο.* De verbis quae sequuntur obscurioribus cf. Valcken. Diatr. Eur. cap. 2 pag. 14.

[4] *Μνησίλοχός ἐστ' ἐκεῖνος, ὃς φρύγει τι δρᾶμα καινὸν*
Εὐριπίδῃ, καὶ Σωκράτης τὰ φρύγαν' ὑποτίθησιν.

Euripides, quemvis tamen intellecturum puto, Aristophanem, quum sophistas infestaret Socratis nomine, de Euripide quoque cogitasse; sed ne opus quidem conjectura est; videantur versus 1355 sqq., ubi Euripidis dramata, quibus delectatur juvenis Phidippides, novae philosophiae nugis imbutus, opponuntur antiquae poesi Simonidis Aeschylique, quam senex rusticus adamat. Alter est locus quem ex Nubibus citat Diogenes Laërtius II:18:

> Εὐριπίδης δ' ὁ τὰς τραγῳδίας ποιῶν
> τὰς περιλαλούσας οὗτός ἐστι τὰς σοφάς.

Sed quum de eo loco an sit e Nubibus desumtus, et de ejus vera lectione, parum constet [1], missum eum faciamus, potiusque recenseamus locos ubi taxatur Socratis impietas.

Passim illud ἀσεβείας crimen occurrit per Nubium fabulam; sic vs. 247 Socrates dicit:

> ποίους θεοὺς ὀμεῖ σύ; πρῶτον γὰρ θεοὶ
> ἡμῖν νόμισμ' οὐκ ἔστι.

item vs. 367:

> ποῖος Ζεύς; οὐ μὴ ληρήσεις· οὐδ' ἔστι Ζεύς.

nec non vs. 424 sq.:

> ἄλλο τι δῆτ' οὖν νομιεῖς ἤδη θεὸν οὐδὲν πλὴν ἅπερ ἡμεῖς,
> τὸ Χάος τουτὶ καὶ τὰς Νεφέλας καὶ τὴν Γλῶτταν, τρία ταυτί;

Neque alia de causa Socrates vocatur ὁ Μήλιος vs. 830, quum revera Atticus esset, nisi quia Diagoras, notus atheus, Melo erat oriundus.

Leguntur hi versus in Vitae Euripidis initio, si recte locum ita emendavit G. Dindorfius, et Diog. Laërt. Vitae Socr. init.; vd. Dindorf. ad Aristoph. fragm. pag. 511 ed. Oxon.

Apud Diogenem Laërtium ibidem Euripidis tragoediae dicuntur σωκρατόγομφοι.

[1] Quum in Nubium recensione quam habemus non legatur hoc distichon, Valckenarius Diatr. cap. 2 pag. 14 opinatus est, ex altera editione esse desumtum, simul emendans Εὐριπίδου, ut de Socrate dicatur. Alii, nihil mutantes, inde efficiunt Euripidem apparuisse in priore Nubium recensione; multi denique locum illum e Nubibus petitum esse negant (vd. Hermann. proleg. ad Nubes, pag. XIX ed. alterius; Kock Einleitung ad eandem fabulam, pag. 36).

His autem doctrinis initiatus Strepsiades rusticus, e schola Socratis reversus, sic illudit filio juranti per Jovem Olympium vs. 818 sq.:

ἰδού γ' ἰδοὺ Δί' Ὀλύμπιον· τῆς μωρίας·
τὸ Δία νομίζειν, ὄντα τηλικουτονί.

et mox cum creditore Pasia ita altercatur (vs. 1232 sqq.):

Pas. καὶ ταῦτ' ἐθελήσεις ἀπομόσαι μοι τοὺς θεούς;
Streps. ποίους θεούς;
Pas. ὃν ἂν κελεύσω 'γωγέ σε,
τὸν Δία, τὸν Ἑρμῆν, τὸν Ποσειδῶ.
Streps. νὴ Δία,
κἂν προσκαταθείην γ', ὥστ' ὀμόσαι, τριώβολον.
— — — — —
θαυμασίως ἦσθην θεοῖς,
καὶ Ζεὺς γέλοιος ὀμνύμενος τοῖς εἰδόσιν.

Filius vero, brevi tempore nimis bene edoctus novam disciplinam philosophicam et rhetorica artificia, patrem verberat, et deos patrios obtestantem his verbis irridet vs. 1469:

ἰδού γε Δία πατρῷον· ὡς ἀρχαῖος εἶ·
Ζεὺς γάρ τις ἔστιν;

Male mulcatus tandem exclamat Strepsiades vs. 1476:

οἴμοι παρανοίας· ὡς ἐμαινόμην ἄρα
ὅτ' ἐξέβαλλον τοὺς θεοὺς διὰ Σωκράτη.

et ulturus contumeliam quam perpessus fuerat a filio, φροντιστήριον Socratis, adscenso tecto, comburit, inter alia acerba in philosophos semiustulatos dicteria hoc quoque vociferans:

τί γὰρ παθόντες τοὺς θεοὺς ὑβρίζετε;

Chorus vero Nubium, quem, mira conversione facta, in ultima comoediae parte sophistis inimicum videmus, quum initio iis favisset, his verbis se gaudere testatur Strepsiadis infortunia vs. 1458 sqq.:

ἡμεῖς ποιοῦμεν ταῦθ' ἑκάστοθ', ὅταν τινὰ
γνῶμεν πονηρῶν ὄντ' ἐραστὴν πραγμάτων,
ἕως ἂν αὐτὸν ἐμβάλωμεν εἰς κακόν,
ὅπως ἂν εἰδῇ τοὺς θεοὺς δεδοικέναι.

Denique in fabulae fine Nubes sic plaudunt rustico cremanti τὸ φροντιστήριον Socratis:

δίωκε βάλλε παῖε, πολλῶν οὕνεκα,
μάλιστα δ' εἰδὼς τοὺς θεοὺς ὡς ἠδίκουν. [1]

Non temere autem me putare, haec omnia de Socrate dicta etiam ad ejus admiratorem [2] Euripidem pertinere, optime apparebit si conferamus notabilem locum in Thesmophoriazusis [3], ubi ipse Euripides nominatim insimulatur ἀσεβείας, quum inter alia de eo dicatur:

τοὺς ἄνδρας ἀναπέπεικεν οὐκ εἶναι θεούς.

In Ranis Euripides, initurus certamen poeticum cum Aeschylo, non vult sacrificare diis patriis, sed quosdam sibi privatos habere profitetur [4], eosdem quos

---

[1] Quae verba, in exitu fabulae posita, magnam habere debebant vim ad philosophorum odium animis audientium instillandum, ut G. Hermannus vere observavit.

[2] Euripides vocatur auditor Socratis in Ranarum loco vs. 1491 sqq., qui continet epitomen judicii quod comicus de ejus virtutibus poeticis et philosophicis ferebat:

χάριεν οὖν, μὴ Σωκράτει
παρακαθήμενον λαλεῖν,
ἀποβαλόντα μουσικήν,
τά τε μέγιστα παραλιπόντα
τῆς τραγῳδικῆς τέχνης.
τὸ δ' ἐπὶ σεμνοῖσιν λόγοισι
καὶ σκαριφησμοῖσι λήρων
διατριβὴν ἀργὸν ποιεῖσθαι,
παραφρονοῦντος ἀνδρός.

[3] Thesmoph. vs. 443—452.

[4] Ranar. vs. 888 sqq.:

Dionys. ἴθι νυν ἐπίθες δὴ καὶ σὺ λιβανωτόν.
Eur. καλῶς *,
ἕτεροι γάρ εἰσιν οἷσιν εὔχομαι θεοῖς.
Dionys. ἴδιοί τινες σοί, κόμμα καινόν;
Eur. καὶ μάλα.
Dionys.

* Id est *benigne, non ular.* Vidi Frischlini versionem in Kusteri editione, qui, cum hoc non intelligeret, *perplacet* scribendo, plane contrarium procudit sensum. Emendavit tamen Kusterus in annotatione, collatis versibus 508 et 512.

Socrates coleret, Aethera nimirum Nubesque. Sed de iis posthac uberius aliquanto erit dicendum, ubi ad aliud crimen, *μετεωραδολεσχίας*, (pag. 53 sqq.) pervenerimus.

§ 2. *An jure Aristophanes ita senserit.*

Si jam roges quo jure Euripidem impietatis incusarit Aristophanes, negari non potest, revera eum fuisse contemtorem deorum, eorum saltem deorum quos in Olympo habitantes e mythologia norant Graeci. Postquam semel cogitare et disputare inceperat de iis narrationibus, partim poeticis, partim mysticis, quae per plura saecula coaluerant in doctrinam quandam theologicam [1], non poterat quin in dies magis fieret incredulus, et denique totam religionem a patribus acceptam, cum usitatis sacris, haberet pro absurda superstitione, et vel dubitaret an dii omnino essent. Non male possis comparare cultum illum deorum cum vetusta domo, quae, dum abstineas manus, etiamnunc diu possit stare et vel firma videri praetereuntibus; sin intromittuntur operae qui hic illic aliquam partem, fenestram januamve vel imbrices, examinent et vitiosa emendent, admota serra et securi mox liquet plura esse tollenda, deinde ipsi muri labascunt, tandem optimum videtur totam domunculam solo aequare.

Quum autem Euripides simul in Anaxagorae schola operam dedisset rebus physicis, hoc etiam egit ut naturalem quaereret explicationem fabularum mythologicarum, quo factum est ut ipsos deos cum viribus naturae

Dionys. ἴθι δὴ προςεύχου τοῖσιν ἰδιώταις θεοῖς.
Eur. αἰθήρ, ἐμὸν βόσκημα, καὶ γλώττης στρόφιγξ,
καὶ ξύνεσι καὶ μυκτῆρες ὀσφραντήριοι,
ὀρθῶς μ' ἐλέγχειν ὧν ἂν ἅπτωμαι λόγων.

[1] Ut apud Platonem dicit Adimantus: "de diis οὐκ ἀλλοθεν ἴσμεν καὶ "ἀκηκόαμεν ἢ ἔκ τε τῶν λόγων καὶ τῶν γενεαλογησάντων ποιητῶν." De Rep. II pag. 365 E.

animive humani confunderet [1]. Sic Jupiter et aether ei idem fere significant [2]; inter Cererem et terram vix quicquam interesse putat [3]; neque Venus a vi genetrice diversa ei videtur [4]. Duo non raro numina miscet in unum, Cererem e. g. et Cybelen [5]. Narrationem de diis ubi nimis censebat puerilem, aliqua interpretatione philosophica meliorem ei subjicere sensum studebat: sic mythum de Baccho ex Jovis femore nato per etymologicum commentum sibi visus est explicare [6], mire tamen absurdum, quae erat antiquorum hominum in verborum originibus investigandis imperitia.

Non tamen ultra dubitationes progressus est; quumque viam, qua institerat, non ad finem decurrerit, athei nomen non ab omni parte in eum competit [7]. Quid autem

---

[1] K. O. Müller Prolegomena zu einer wissenschaftlichen Mythologie pag. 90: "Aeschylus und Sophokles glaubten noch, und die Götter standen ihnen "in ihrer Persönlichkeit lebhaft, wie wirkliche Wesen, vor Augen. Bei Euripi- "des aber ist ein gewisses Philosophiren, freilich ein ziemlich schwankendes "und unentschiedenes, fast ganz an die Stelle der mythischen Religion getreten."

[2] Zeus = aether in fragm. 836 Wagn., 936 Dind.:

ὁρᾷς τὸν ὑψοῦ τόνδ' ἄπειρον αἰθέρα
καὶ γῆν περιξ ἔχονθ' ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις;
τοῦτον νόμιζε Ζῆνα, τόνδ' ἡγοῦ θεόν.

quae ex Ennii versione Cicero de N. Deor. II, 2 sic citat:

aspice hoc sublime candens, quem invocant omnes Jovem.

Sic etiam fragm. 869 Dind.:

ἀλλ' αἰθὴρ τίκτει σε, κόρα,
Ζεὺς ὃς (ἐν) ἀνθρώποις ὀνομάζεται.

[3] Vd. Phoeniss. vs. 691—693 et conf. Bacch. vs. 275 sq.

[4] Vd. Hippol. vs. 447 sqq. et de hoc loco v. Limburg Brouwer *Proeve over Euripides* pag. 132, 3.

[5] Vd. Helen. vs. 1317—1384.

[6] μητὸς — ὄμηρος, Bacch vs. 286 sqq.; nisi interpolatori hic locus debeatur, ut contendunt Dindorfius aliique recentiores; cf. Cap. V versus finem.

[7] Verba Talthybii in Hecuba vs. 488 sqq. mihi videntur ipsius poetae animum ἐνδοιάζοντα monstrare:

ὦ Ζεῦ, τί λέξω; πότερά σ' ἀνθρώπους ὁρᾶν,
ἢ δόξαν ἄλλως τήνδε κεκτῆσθαι μάτην,
[ψευδῆ, δοκοῦντας δαιμόνων εἶναι γένος,]
τύχην δὲ πάντα τἀν βροτοῖς ἐπισκοπεῖν;

sentiret non palam ausus est ostendere, sed praeceptoris Anaxagorae calamitate monitus, cautius suas de rebus divinis opiniones velavit, nec nisi furtim et per ambages subinde expressit [1]. Deos illos quos contemnebat aut saltem plane alios, quam solebat vulgus, sibi cogitabat, in tragoediis suis plane tales exhibuit quales popularis mythologia depingebat [2]. Fecit igitur id quod in rebus theologicis non ita raro nostra quoque actate fieri videmus: servare et venerari videbatur aliis, et sibi ipsi fortasse, quae revera non flocci pendebat; et hac quidem in parte, cum caruerit candore et falsam quandam speciem prae se tulerit, mihi videtur culpandus, caeteroquin facile ex hodierna cogitandi ratione absolvendus impietatis, quod non satis veritus sit olympicolas crudeles, impuros, impotentes, quales a Graecis adorabantur.

Etenim quum semper improbanda sit illa animi conditio qua homo quid velit et quo tendat haeret incertus, ceu viator in trivio dubitans qua semita sibi sit pergendum, tum Euripidi inprimis perniciosa fuit, propter genus poeseos quod sibi elegerat excolendum. Hoc aliquanto uberius exponere ab argumento hujus scriptionis haud alienum duco. Quippe quum Aristophanes et impietatem Euripidis et ejus rationem tragoedias faciendi vituperarit, non audax mihi videtur conjectura, comicum illum, non minus oculatum quam hodierni sunt homines, perspexisse

---

[1] "Euripides und Anaxagoras verknüpfte das Band einer Philosophie "welche geächtet und schüchtern ihr Geheimniss vor dem argwöhnischen "Volk bewahrte." Bernh. ll. pag. 401.

[2] Nullum profecto minus reverenter quam Herculem tractavit, quem in Alcestide offendimus voracitate insignem et post crebra pocula justo hilariorem; in Syleo quoque Hercules *τοῖς βοείοις χλωρὰ σῦκ' ἐπήσθιεν, ἄμουσ' ὑλακτῶν*, (vd. Meynek. Exerc. Phil. I pag. 22 sq., ad Athen. VII pag. 276 f) Sed quum Alcestis loco satyrici data sit (conf. supra adn. 1 ad pag. 5), Syleüs vero sine dubio satyricum drama fuerit, hic non tragici canones sunt adhibendi neque de deorum contemtu nimium erit querendum.

aliquam affinitatem inter dramata male composita et incredulam mentem poetae, etiamsi nunquam digito indicaverit.

§ 3. *Quantum Euripidis impietas ejus tragoediis nocuerit.*

Tragoedia Attica, qualem Aeschylus et Sophocles coluerant qualemque ex eorum scriptis novimus, numine et diis carere non potest. Vix operae pretium est monere ipsa certamina tragica revera ad deorum cultum pertinuisse, non enim nescio Athenienses ipsos hujus rei plerumque parum fuisse memores; quin etiam comoediae in deorum honorem dabantur, in quibus quanto ludibrio essent coelites supra pag. 14 sq. vidimus. Id igitur mitto, ut hoc solum urgeam, tragoediae ipsa fundamenta niti religione. Si Aristotelis regulas adhibeas, quas Lessingius, non vulgaris sane de scenicis rebus judex, certissimos canones vocavit [1], tragoedia, miserationem et timorem excitando, spectat emendationem horum et similium in hominum animis affectuum [2], ideoque

[1] Vd. Hamb. Dramaturgie sub finem: "Ich glaube die dramatische "Dichtkunst studirt zu haben.... Was mich also versichert dass.... ich "das Wesen der dramatischen Dichtkunst nicht verkenne, ist dieses, dass "ich es vollkommen so erkenne wie es Aristoteles aus den unzähligen "Meisterstücken der griechischen Bühne abstrahirt hat.... Ich gestehe "dass ich die Dichtkunst dieses Philosophen für ein ebenso unfehlbares "Werk halte als die Elemente des Euklides nur immer sind."

[2] Poet. 6: *ἔστιν οὖν τραγῳδία μίμησις πράξεως σπουδαίας καὶ τελείας, μέγεθος ἐχούσης, ἡδυσμένῳ λόγῳ χωρὶς ἑκάστου τῶν εἰδῶν ἐν τοῖς μορίοις, δρώντων καὶ οὐ δι' ἀπαγγελίας, δι' ἐλέου καὶ φόβου περαίνουσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν* Quem locum vexatissimum ita explicandum puto: Est igitur tragoedia imitatio actionis seriae, in se consummatae aptisque finibus circumscriptae, expressa oratione comtâ et, prout diversa sunt genera dicendi, accommodatâ singulis operis partibus; ita porro instituta, ut quae geruntur videamus, non auditu modo cognoscamus; denique id spectans, ut excitando miserationem et timorem, hos similesque affectus emendet.

potissimum debet ostendere infortunia virorum neque prorsus malorum, id enim nec miserationem nec timorem moveret, neque prorsus bonorum (ἐπιεικῶν), istuc enim horribile (μιαρὸν) esset. Miseremur autem *insontium*, timemus quum *consimiles nostri* duris casibus videmus exerceri [1]. Exitus fabulae esto infelix, non propter perversitatem sed propter magnam quandam culpam [2].

In his quae numinum habeatur ratio non obscurum est. Miseratio oritur quum videmus homines bonos, magnos, laudabiles calamitatibus obrui. Si autem plane innocui essent et absque omni sua culpa tam tristia fata paterentur, succenseremus diis aut nullos esse putare sollicitaremur: propterea heroes sint aliqua ex parte sontes. Porro recordemur necesse est, eadem vel similia infortunia nobis quoque posse accidere, cum et ipsi simus homines, cumque praesertim nemo ab omni labe se purum sciat. Similes igitur nostri, etsi nobis majores, dum in scena videmus malis affligi, sentimus mutato nomine de nobis quodammodo narrari fabulam; timor [3] excitatur ne eadem quae in illos, in nos quoque saeviant numina; quam exigui simus discimus, a theomachia deterremur, ut vitia nostra corrigamus admonemur, et sic ad hominum emendationem multum conferre posse tragoediam, liquido patet.

Sed si numina tollas, si Olympii in nubes et auras evanescant vel ad meras notiones philosophicas rediganter, neque jam supra homines extet potestas praeter caecam fortunam vel ferream necessitatem, in propatulo

---

[1] Poet. 13: ὁ μὲν γὰρ (ἔλεος nimirum) περὶ τὸν ἀνάξιόν ἐστιν δυστυχοῦντα, ὁ δὲ (nempe φόβος) περὶ τὸν ὅμοιον.

[2] Ibid. μὴ διὰ μοχθηρίαν ἀλλὰ δι' ἁμαρτίαν μεγάλην.

[3] Cum *timore* (*vrees*) non confundendus est *terror* (*schrik*); terror enim non diversus est a misericordia quam erga alios sentimus, in timore vero nos ipsos respicimus, ut verissime expositum a Lessingio in opere modo laudato.

est quam penitus omnes tragoediae radices evellantur, et si quis, semotis diis, tamen ex materie usu consecrata velit componere tragoediam, non plus efficiat quam quicunque e sicca farina panem coquere studeat aut de pulvere murum struere.

Euripidem, qua erat calliditate eximia, hoc non poterat fugere; sed laudis amore ductus mihi videtur viam elegisse quam propter scepticam cogitandi rationem evitare debuerat: utque patrium dicit proverbium, cymbam ingresso remigandum esse, cui Aristophaneum subjungere libet adagium, ebibendam faecem quoque e poculo, — postquam semel ad Dionysiaca certamina se applicuerat, ut vinceret omnibus modis nitens, veritatis studium postposuit gloriae, et ipsis illis diis quos extare vix et ne vix quidem credebat, in scena utebatur, quum iis carere non posset [1]. Sic vero quodammodo deceptoris partes agebat, ἐν στήθει γ' ἕτερον μὲν κεύθων, ἄλλο δὲ βάζων. Si quis autem, durius hoc dictum ratus, mihi objiciat, licere poetae ad decoranda sua carmina fictionibus uti quibus nihil veri inesse sciat, ille secum perpendat, aliud esse si quis *hodiernus* poeta caneret paganorum antiqua numina (etsi vix inveniret qui istam cramben recoctam probarent), aliud ubi Athenis in scena tragica de iis sermo est. Ibi de diis aut serio agendum aut tacendum erat: mero ornatui non multo aptius inservire poterant quam evangelicae historiae in hodierno poemate; neque profecto ipse Euripides ita unquam causam orasset: si ostendisset talem sibi esse sententiam, lapidibus, puto, esset petitus a civibus Atheniensibus, pietatis scilicet sectatoribus. Neque multum prodest dicere cum Schlegelio [2], in Euripide discerni posse duas personas,

[1] "Er nutzte die todt gewordene Masse bloss als einen Stoff der Reflexion," Bernh. ll. pag. 169. — "Die Mythen.... waren inhaltleere Typen geworden," pag 43 supra.

[2] Vorl. über dram. Kunst u. Lit. I², pag. 210 — Apud Goethium sed

poetam nimirum, diis patriis fidem habentem, et sophistam, liberam rationem cogitandi et dubitandi sequentem; homo enim neque est chamaeleon, quem fabulantur pro re nata mutare colorem, neque ex diversis partibus compositus, sed unus est et dividi nequit. Hoc tantum concedi posset, Euripidem dum poema conderet aliquatenus sibi persuasisse deos de quibus caneret etiam extra poetarum fictiones extare, nisi hanc quoque defensionem suis sibi scriptis praecideret. Nunquam enim tantus ei fuit ardor furorque poeticus ut plane oblivisceretur se ea scribere quae non vera duceret. Quod probare non difficile est. Saepe in ejus tragoediis occurrunt loci ubi non amplius poeta theologus loquitur, sed philosophus, cujus sententiae interdum cum totius fabulae oeconomia pugnant [1]. Videamus modo Herculem furentem, cujus fabulae cardo est Junonis saeva ira in Herculem plane insontem, ita ut non injuria queri possit Hercules vs. 1307 sqq.:

τοιαύτῃ θεῷ
τίς ἂν προςεύχοιθ'; ἢ γυναικὸς οὕνεκα
λέκτρων φθονοῦσα Ζηνί, τοὺς εὐεργέτας [2]
Ἑλλάδος ἀπώλεσ', οὐδὲν ὄντας αἰτίους.

---

locum nunc frustra quaero) alicubi haec, aut parum diversa, me legere memini: prout in opere physico, philosophico vel poetico sum occupatus, modo naturalismum, modo deismum, modo polytheismum profiteor.

[1] Verissimas de hac re inveni observationes in P v. Limburg Brouwer: *Proeve over Euripides*; inprimis vd. pag. 234.

[2] Scilicet Euripides finxit Herculi post peractos demum labores a Junone immissum esse furorem quo uxorem Megaram filiosque trucidavit, quum secundum Apollodorum aliosque mythographos ista rabies labores praecesserit. Quod an consulto fecerit Euripides se nescire dicit van Limburg Brouwer, l.l. pag 80 in adn. Ego dixerim id eo consilio fecisse poetam, ut Herculem, edita quadruplici caede, mittere posset Athenas, qui, sub Thesei tutela lustratus (vs. 1323 sqq.), quemadmodum Oedipus ille Sophocleus, ibi degeret. Hanc civitati suae gloriolam non potuisset tribuere poeta, si Herculi, postquam a Theseo liberatus esset piaculo, in infinita itinera fuisset abeundum.

Tam iracunda apparet Juno, ut ipsa Λύσσα, in Herculem immissa, horreat dira ejus mandata et reginâ coeli se mitiorem ostendat. Quid vero audimus Herculem dicentem, postquam e fatali furore ad sanitatem reversus, longa oratione deflevit quae ediderat funera? (vs. 1341 sqq.):

ἐγὼ δὲ τοὺς θεοὺς οὔτε λέκτρ' ἃ μὴ θέμις
στέργειν νομίζω, δεσμά τ' ἐξάπτειν χεροῖν
οὔτ' ἠξίωσα πώποτ' οὔτε πείσομαι,
οὐδ' ἄλλον ἄλλου δεσπότην πεφυκέναι.
δεῖται γὰρ ὁ θεός, εἴπερ ἔστ' ὄντως θεός,
οὐδενός· ἀοιδῶν οἵδε δύστηνοι λόγοι.

Atqui sic loqui non potest Hercules, saepius iram Junonis expertus et nunc recenti piaculo per ejus vindictam obstrictus, sed verba sunt ipsius poetae philosophi, quem dum in ἀοιδοὺς δυστήνους invehitur sibi ipsi stomachari dixeris quod jam per tot versus improbum numen depinxerit, cum vera ejus sententia exprimatur hoc pulchro versiculo:

εἰ θεοί τι δρῶσιν αἰσχρόν, οὐκ εἰσὶν θεοί[1].

Sed opinio illa, quam quis neget veram et longe praestantiorem esse mytho Junonis implacabile odium referente, ipsius dramatis materiae et structurae adversatur. Si dii non sunt adulteri, Hercules ex Jovis adulterio nec nasci potuit nec Junoni eo nomine invisus esse: en ipsum perit argumentum tragoediae quam agi videmus. Scire velim, quid talia audientes sibi cogitarint spectatores, quos nisi κολοκύνταις λημῶντας necesse fuit sentire, a bilingui poeta sibi verba dari.

---

[1] Stob. 100, 4 (fragm. 300 Wagn, 294 Dind.). E Bellerophonte desumtus est versus, quem etiam Plutarchus et Justinus afferunt.

Confer etiam e Peliadibus hunc locum (fragm. 600 Wagn., 609 Dind.):

οὐκ ἔστι τὰ θεῶν ἄδικ', ἐν ἀνθρώποισι δὲ
κακοῖς νοσοῦντα σύγχυσιν πολλὴν ἔχει.

et Iphigen. Taur. vs. 391 in annotatione prima sequentis paginae.

In Iphigenia Taurica [1], Bacchis [2], Helena [3], similes loci occurrunt, ubi poeta se ipse reprehendit quod fabulosis narrationibus de diis credere visus sit.

---

[1] Iph. Taur. vs. 380 sqq. heroina de crudeli superstitione sic loquitur:

τὰ τῆς θεοῦ δὲ μέμφομαι σοφίσματα,
ἥτις, βροτῶν μὲν ἥν τις ἅψηται φόνου,
ἢ καὶ λοχείας ἢ νεκροῦ θίγῃ χεροῖν,
βωμῶν ἀπείργει, μυσαρὸν ὡς ἡγουμένη,
αὐτὴ δὲ θυσίαις ἥδεται βροτοκτόνοις.
οὐκ ἔσθ' ὅπως ἔτεκεν ἂν ἡ Διὸς δάμαρ
Λητὼ τοσαύτην ἀμαθίαν. ἐγὼ μὲν οὖν
τὰ Ταντάλου θεοῖσιν ἑστιάματα
ἄπιστα κρίνω, παιδὸς ἡσθῆναι βορᾷ·
τοὺς δ' ἐνθάδ', αὐτοὺς ὄντας ἀνθρωποκτόνους,
ἐς τὴν θεὸν τὸ φαῦλον ἀναφέρειν δοκῶ·
οὐδένα γὰρ οἶμαι δαιμόνων εἶναι κακόν.

Parum opportune haec proferuntur a Dianae sacerdote, et aptissima sunt ad refrigerandum animum spectatorum.

[2] Baccharum fabula versatur in poena quam Bacchus, ob spretum suum numen, de Pentheo sumit, simillimus malefico praestigiatori, et dignus qui a spectatoribus non minus contemnatur quam ab ipso Pentheo. Hac igitur in fabula, si in alia ulla, celebratur magna potestas coelitum; at legas quaeso versum 893, annon philosophum secum mussitantem te audire putes: κούφα γὰρ δαπάνα, νομίζειν
ἰσχὺν τόδ' ἔχειν,
ὅ τι ποτ' ἄρα τὸ δαιμόνιον.

Tyrwhittus censuit, Euripidem hoc drama composuisse quo purgaret se crimine contemtorum numinum patriorum, sed versu laudato se quasi excusare de fabula philosophiae suae plane repugnante. Sed non opus videtur ad talem conjecturam confugere, cum non in Bacchis solum sed passim, ut vidimus, in fabulis Euripideis appareat quam parum poeta sibi constiterit.

Multo mitius de hac fabula judicat Bernhardius, pag. 422: "Doch 'empfahl er zuletzt Resignation und Hingebung an Gott als unerschütterlichen Grund der sittlichen Dinge, während er die Freidenker "und den Unglauben der damaligen Wissenschaft bekämpft. Eine reife "Summe dieser inneren Erfahrungen hat er am Schluss seiner Laufbahn "in den Bacchae niedergelegt." — Vellem scriptor hoc judicium non expressisset solum sed etiam probasset.

[3] Helena ridicule, meo quidem sensu, dicit de Jove in cycnum mutato: εἰ σαφὴς οὗτος λόγος (vs. 21). In scena tragica ferri non potest alia Helena quam quae ex ovo divinitus fecundato prognata et ea de causa

Non igitur animi quidam impetus sed callida ratiocinatio induxit Euripidem ut diis locum daret in tragoediis. Hic vero ei accidit quod saepe fieri videmus quum per nisum aliquid loco movere conamur, ut diu obstans nostris viribus, ubi tandem cedit ultra quam satis prosiliat. Simili lege factum est ut Euripides, quum semel sibi persuasisset tragoediam poscere deos humanis rebus se immiscentes, in iis utendo modum sibi ponere nesciverit; itaque dum Charybdin caute vitare sibi videbatur, imprudens in Scyllam incidit, non minus metuendam gurgite quem fugerat. Passim ejus fabulae scatent diis; saepe jam adsunt ubi premitur aulaeum, qui nobis futura canant, iracundi saepe et paene scelesti [1]; et etiam si eos non videmus, scimus tamen in nubibus vel potius in machina pendere sublimes, quovis temporis puncto paratos in terram devolare ut hominum res quietas turbent, aut nodos rescindant terrestribus manibus non solvendos. Atenim cum tantum situm sit in coelicolis, vix hominibus suae partes restant; non agunt hi sed aguntur; pupas nobis videre videmur in scena *νευροσπάστους*, quorum fila teneantur a numinibus, ut nunquam sua sponte se movere possint sed huc illuc trahantur alieno arbitrio. At quis unquam admiratus vel miseratus est pupam? Necesse est spectemus homines nostri similes, ut eorum fata nos tangere possint. Quisquis vero non servum vel merum instrumentum sed hominem liberum

---

superis curae sit, ut in hac ipsa quoque fabula. Ubi de sua origine se dubitare fatetur, mihi in mentem revocat jocum Aristophanis, qui de patre interrogatus respondit versiculo Homerico:

μήτηρ μέν τέ μέ φησι τοῦ ἔμμεναι, αὐτὰρ ἔγωγε

οὐκ οἶδ', οὐ γάρ πώ τις ἐὸν γόνον αὐτὸς ἀνέγνω. (Proleg. Arist. XII Dind.) — Similia possent observari de loco in Troadum fabula vs. 969 sqq.

[1] "Dass zu den Tragikern, welche sich nicht scheuten die Götter in "unwürdiger Weise auftreten zu lassen, Euripides gehöre, wird Niemand "in Abrede stellen, so günstig er auch sonst über den Dichter urtheilen "mag" Schoem. Gr. Alterth [3] II, pag. 589.

se novit — veteres autem sensu dignitatis humanae non magis carebant quam nos — nihil commune sibi videt cum talibus heroibus tragicis.

Opus est ut exemplis hoc illustrem. Videamus igitur fabulam Euripideam Orestem, de qua verissime hypotheseos scriptor: τὸ δρᾶμα.... χείριστον τοῖς ἤθεσιν· πλὴν γὰρ Πυλάδου πάντες φαῦλοι ἦσαν [1]. Contendo Euripidem non satis intellexisse sensum symbolicum narrationis mythologicae de furiis matricidam agitantibus. Erinnyes apud eum non sunt, ut esse debebant, tristes umbrae et imagines animi diris doloribus convulsi, neque Orestès torquetur sceleris sui conscientia; immo recte sibi fecisse videtur, de atroci nece Clytaemnestrae placide et sophistice loquitur [2], vitaeque eum minime pertaedet [3], ita ut omni ope nitatur ad avertendum illud λεύσιμον πέτρωμα quod ei minantur cives. Interdum tantum a furiis corripitur et ad insaniam redigitur; modo resipiscentem eum videmus in fabulae initio. In fine autem dramatis Apollo res componit; Orestes Hermionen, ἣ ξιφήρης ἐφεδρεύει, uxorem ducere jubetur (vs. 1653 sqq.), et docilis admodum respondet: ἰδοὺ μεθίημ' Ἑρμιόνην ἀπὸ σφαγῆς, καὶ λέκτρ' ἐπήνεσ' ἡνίκ' ἂν διδῷ πατήρ (vs. 1671 sq.). Ita per κωμικωτέραν καταστροφὴν [4] matricida sexto die ab interemta Clytaemnestra uxorem sibi sumit. Haec nunquam commentus esset poeta qui perspiceret et meminisset, Erinnyas non adeo extra homines sed in eorum pectore versari,

---

[1] Cui obloquens G Hermannus in proleg. Orest. pag. 14 vix cuiquam persuadebit.

[2] Vd. vs. 552 sqq.

[3] Vs. 644 sq.: "mihi opes duco (beatum me censeo) si vitam mihi serves, quae mihi est dulcissima."

[4] Orestes vix magis dici potest heros tragicus quam Dicaeopolis ille Aristophaneus qui abrepto Acharnensium λαρκῷ mortem struit, vel Mnesilochus qui mulieribus Thesmophoriazusis minatur se cadum vini esse mactaturum.

et "improbos non ardentibus taedis, sed angore conscientiae fraudisque cruciatu agitare et insectari." [1]

In fine Electrae [2] idem licet observare, quae fabula pariter de Clytaemnestrae morte agit. Nam Dioscuri qui adsunt ad rem ἀπὸ μηχανῆς dirimendam, Orestem ut bono animo sit hortantur, et Electrae cum Pylade nuptias, coram matris cadavere adhuc tepente, infando omine conciliant, ita ut virago illa opinione sua celerius possit abjicere timorem quem vs. 1199 sqq. ostenderat, ne piaculo obstricta thalami expers maneret. Scilicet nihil videntur antiquius habuisse Agamemnonis liberi mortua matre, quam ut matrimonium inirent. Puella autem, quae recens a matris caede de nuptiis cogitat, aut monstrum tam est horrendum ut mors una in ejus supplicium parum sit, aut scenica pupa ut modo nominavi, nihil sponte sua agens, sed coelitum nutu ultro citroque se vertens: communis vero humanitatis nihil omnino inest huic Atridae progeniei [3].

---

[1] Cic. de Leg. I, 14, 40. — Idem pro Rosc. Amer. 24, 67: "Sua quemque "fraus et suus terror maxime vexat, suum quemque scelus agitat, amen-"tiaque afficit, suae malae cogitationes conscientiaeque animi terrent. Hae "sunt impiis assiduae domesticaeque furiae, quae dies noctesque poenas a "conscleratissimis filiis repetant."

[2] Hoc drama a Bernhardio vocatur "ein Denkmal des tiefen Verfalls in Kunst und Geschmack", pag. 493.

[3] Inter Electram Sophocleam et Euripideam, addita interdum etiam tertia illa ex Aeschyli Choëphoris, saepius est instituta comparatio, de qua non hujus loci est agere. Hoc unum observare mihi liceat, dirum illud, quo Electra Euripidis ardet, matris odium nulla *in ipsa fabula* accipere incitamenta; immo Clytaemnestram audimus benevole et demisse loquentem; Sophoclea vero Electra narrat nobis matris jurgia minasque (vs. 287—298), et a Chrysothemide audit se ab Aegistho et Clytaemnestra jamjam subterraneo carcere inclusum iri (vs. 379 sqq.). Caedi porro (cujus pars multa est Electra Euripidea) non adest, etsi probet, et de mortua cum miseratione loquitur: τέθνηκεν ἡ τάλαινα (vs. 1426); mulier denique est, non mitis quidem, sed mulier tamen: in Euripidis vero dramate potius sanguinis sitientem tigridem videre te dixeris. (Cf. caeteroquin infra pag 50, adn 1)

Non puto pluribus exemplis me indigere quibus rem demonstrem. Addatur unum tamen. In Andromaches fine Thetis adest, et miserum senem Pelea, qui projectus in pulverem deflet excisum ultimum sui generis surculum, mirifico modo consolatur: nempe deum facit, purum putum deum immortalem (vs. 1256), redintegratura cum eo nuptias, per quadraginta opinor annos intermissas. Divae jussis obtemperans Peleus παύει λύπην. Rogo tamen: potestne homo, vel deo jubente, ponere luctum? Unum dixeris tempus posse obducere cicatrices talibus vulneribus, non vero sufficere ut aliquis superorum dicat "ne luge," ad siccandas lacrimas ob gentem cari nepotis caede extinctam fluentes.

In his rebus justum modum tenere non datur nisi menti piae, vera numinis reverentia imbutae, propterea-que a subtiliore de deo vel de diis disputatione alienae. Neque antiquorum neque recentiorum cuiquam solvere contigit aenigma illud, quomodo conjungi possit hominum libertas cum coelesti potestate qua omnia reguntur; de qua re inter Christianos quoque justo acerbius pugnatum est, dogmate praedestinationis multorum incendente animos. Si omnia referas ad supremae voluntatis arbitrium, metus est ne tollas libertatem humanam; sin hanc vindicare velis, non omnia certe coelesti numini subjecta concedas necesse est, ideoque proclivior eris ad infitiandam providentiam divinam. In tragoediis vero componendis utraque sentiendi ratio gravissima affert incommoda. Si enim, numinibus fatoque prorsus sublatis, omnia temere evenire statuas, aberit nexus inter culpam et poenam, sine quo non potest nasci φόβος ille quem Aristoteles poscit [1]. Diis vero ex inexorabili lege fati omnia gubernantibus, dramatum materies vix apta erit ad movendos spectatores. Quae enim futura sunt jam

[1] Cf. supra pag 23 adn. 2 et 24 adn. 3.

ex prologo nota habent; quumque fatalem eventum neque evitari neque mutari posse sciant, parvi refert qua via eo denique perveniatur. Oedipus, quem fata praenunciant occisorem patris fore et matris conjugem, etiam si non ignoravisset suos natales, tamen aliqua ratione perductus esset ut patrem trucidaret et matris torum conscenderet; Hippolytus tamen aliquo modo misere periisset, quamvis pater non diris eum exsecratus esset, et sic porro [1].

Media igitur via est ineunda, quam tamen non possit tenere nisi, ut dixi, qui pia mente, ea quae nemo adhuc intellexit se quoque nescire patiens, nihilominus divinis numinibus hominum sortem regi credat, sed ita ut simul aliquatenus faber suae quisque fortunae sit [2]. Si ea mens fuerit tragico poetae, in ejus operibus fatum etsi non absit, non plane extra homines erit positum, sed potius in ipsorum pectoribus quasi nasci videbimus et crescere, donec se evolvens adducat *καταστροφήν*; ex ingeniis hominum eorumque actionibus et harum sequelis orietur catena continua causarum et effectuum; et si quando appareat deus in scena, non versutum praestigiatorem nos videre putabimus, sed coelestem causam eorum quae jam per totum drama conspexeramus, cujus potestas nobis sacrum quendam horrorem incutiat.

---

[1] Illud incommodi magis etiam in Euripidis quam in caeterorum tragicorum fabulis incurrit in oculos, quum ille, ut Lessingii utar verbis (Hamb. Dramat. N°. 48), "die Rührung die er hervorbringen wollte sich "nicht sowohl versprach von dem was geschehen sollte als von der Art "wie es geschehen sollte."

[2] Pseudo-Sallustius Ep. ad Caes. 1 : 1, 2: "in carminibus Appius [Caecus] ait, fabrum esse suae quemque fortunae." Unde W. Teuffel Röm. Literaturgesch. § 88, 5 hunc efficit saturnium versum:

fabér suáe fortúnae — únusquísque est ípsus.

§ 4. *Cur tragoedias, parum tragicas tamen, scripserit Euripides.*

Si non plane improbabilibus argumentis contendi, Euripidem, deorum Atticorum contemtorem, propterea ad tragicam poesin minus aptum fuisse, forte quis roget cur igitur Euripides Melpomenen colendam sibi elegerit? Digna sane haec quaestio de qua adhuc pauca dicamus. Fuere qui putarent [1], Euripidem, "in scena philosophum," ideo induisse cothurnos ut doctrinam praeceptoris Anaxagorae e scena tragica posset civibus commendare, majore auditorio et minore suo periculo quam si de iis rebus in scholis philosophicis ageret. Haec vero fabella tam inepta est ut vix quemquam ei fidem habiturum esse censeam. Ego potius sic habeo.

Euripidi non inerat vis divina poesis, non igneus ille ardor qui in nova itinera proripit vatem quia stratae viae ei non sufficiunt [2], sed tantummodo ingenium velox et acutum. Sapientiae studiosus, operam dederat ut vitam moresque hominum pernosceret [3], quod ei bene cessit: ad ea igitur in scena repraesentanda paratissimus erat, nec mirum, e poesi laudem sibi quaerentem, in dramate eum vitae tentorium posuisse. Vetus autem comoedia Aristophanea plane ab ejus indole abhorrebat. Nihil igitur restabat praeter tragoediam, si saltem ex generibus usu receptis unum erat eligendum. Sed si verus fuisset poeta, non doctrina et multa exercitatione factus,

---

[1] Vd. Suidas: *ἐπὶ τραγῳδίαν δὲ ἐτράπη, τὸν Ἀναξαγόραν ἰδὼν ὑποστάντα κινδύνους δι' ἅπερ εἰςῆξε δόγματα.*

[2] Ut de deorum equis legimus (Hymn. Cerer. vs. 381 sqq.):

οὐδὲ θάλασσα
οὔθ' ὕδωρ ποταμῶν οὔτ' ἄγκεα ποιήεντα
ἵππων ἀθανάτων, οὔτ' ἄκριες, ἔσχεθον ὁρμήν,
ἀλλ' ὑπὲρ αὐτάων βαθὺν ἠέρα τέμνον ἰόντες.

[3] Magis tamen ex meditatione et ex libris quam ex ipsorum hominum consuetudine, conf. infra pag. 52 sq.

sed natus ad opus Musarum, non dubito quin novum scenicae poesis genus excogitaturus fuisset, suis viribus respondens neque pugnans cum sentiendi et philosophandi ratione quae ei erat propria: primus opinor ille extitisset auctor novae comoediae. Nam istuc sua eum natura ferebat, et multae ex ejus fabulis proxime ad eam accedunt [1]. Scilicet maxima Euripidis laus, ut jam indicavi, est posita in pingendis movendisque affectibus [2], et in accurate delineandis hominum moribus, quibus in tragoedia non tantus est locus quantus in nova comoedia [3]; id quod hîc tamen pluribus non persequar, cum ab argumento commentationis sit remotius. Nunc vero Euripides novam materiem coegit in formas antiquas, servatis etiam antiquis nominibus [4]; sic natae sunt illae tragicocomoediae vel hilarotragoediae, de quibus quidem Lessingius "hybridas, inquit, si lubet eas vocate: nonne mulus utilissimis jumentis accensendus est?" [5]

[1] Quinctil. X : 1: *Hunc* [Euripidem] *et admiratus saepe est* (*ut ipse testatur*) *et secutus, quamquam in opere diverso, Menander.*

Philemon autem aliquando scripsit, si sibi constaret mortuis esse *αἴσθησιν*, statim se collum laqueo inserturum, ut Euripidem videret:

ἀπηγξάμην ἄν, ὥστ' ἰδεῖν Εὐριπίδην. (Videatur primus et secundus Euripidis biographus in fine.)

Diphilus *κατάχρυσον* vocabat Euripidem. (Athen. X pag. 422b.)

Minus recte me judice Mommsen (Röm. Gesch. [6] I, pag. 909): "das "neuattische Lustspiel that nichts als den Euripides ins Komische über-"tragen." Verius dixeris Euripidem ea quae novae comoediae propria sunt parum apte in tragicam scenam transtulisse; vel, si oxymoro libet uti, non Menandrum quae scripserat Euripides, sed quae Menander scripturus erat Euripidem esse imitatum.

[2] Quinct. ibid.: *in affectibus vero cum omnibus mirus, tum in iis qui miseratione constant facile praecipuus.*

[3] Aristot. poet. 6: *τὰ πράγματα καὶ ὁ μῦθος τέλος τῆς τραγῳδίας.... ἄνευ μὲν πράξεως οὐκ ἂν γένοιτο τραγῳδία, ἄνευ δὲ ἠθῶν γένοιτ' ἄν.*

[4] Id eleganter Bernhardius pag. 469, de Aulidensi Iphigenia loquens, vocat "ein bürgerliches Intriguenstück mit Empfindsamkeit, aber auf "Kosten eines glänzenden Mythos und der fürstlichen Ehre, romantisch in "Scene setzen."

[5] Hamb. Dramat. n°. 48 in fine: "Was geht mich es an ob so ein

sed quae tamen multo etiam praeclariores evasissent me judice, si plane comoediae essent; ut mulus, etsi utilis nec indecorus, usu tamen non aequat asinum, et pulchritudine longe equo postponendus est.

Optime ex Ione puto me defendere posse quam expressi opinionem. Hujus fabulae argumentum, ἀναγνωρισμὸς per crepundia, in mentem nobis revocat comoedias illas Menandreas et caeterorum novae comoediae poetarum, quae Romanorum imitatione (Rudente Plautino puta vel Andria Terentii) nobis innotuerunt. Totum fere discrimen in eo versatur quod non Attici aratores et mercatores sed antiqui heroes et dii per scenam incedunt. Neque triste quicquam inest, exceptis flebilibus querelis, quas Creüsa fundit postquam rescivit maritum adoptare velle Ionem pro filio, et insidiis quas deinde Ioni tendit. Haec, ad structuram dramatis non necessaria, dixeris a poeta esse addita ut fieret similius tragoediae; sed malles abesse. Nam alterae sunt lacrimosiores quam pro re, alterae vero tam immite produnt Creüsae ingenium, ut eam nemo non abhorrere possit, quum in priore fabulae parte magnam nobis commoverit sui misericordiam. Scilicet ea mulier, ipsa furtivi partus sibi conscia, cum suspicetur juvenem, quem adoptare maritus parat, ipsius esse nothum filium, in tantum exardescit furorem [1], ut Apol-

"Stück des Euripides weder ganz Erzählung noch ganz Drama ist? Nennt "es immerhin ein Zwitter; genug dass mich dieser Zwitter mehr vergnügt, "mehr erbaut, als die gesetzmässigsten Geburten eurer correcten Racinen "oder wie sie sonst heissen. Weil der Maulesel weder Pferd noch Esel "ist, ist er darum weniger eines von den nutzbarsten lasttragenden "Thieren?"

[1] Scio quidem Creüsam irae interserere causam, quod turpe putet nothum aliquando regnaturum Athenis, ut canit etiam chorus vs. 1058 sq.:

μηδέ ποτ' ἄλλος ἄλλων ἀπ' οἴκων πόλεως ἀνάσσοι
πλὴν τῶν εὐγενετᾶν Ἐρεχθειδᾶν.

Sed nemo credet hic non potius exerceri nota novercarum odia. Hinc quoque liquet, quantum huic dramaturgo offecerit ex antiqua historia desumere materiem, ideo plerumque cognitam et usu sancitam, ut mutandi

linis, qui adoptionis auctor extiterat, templum incendere velit, assentiente paedagogo [1], cui insuper mandat ut juvenis poculo immisceat venenum. Detecto scelere antequam potionem exitialem hauriret, Ion quoque atrociter saevit, et leni ille animo juvenis, quem in dramatis initio amare coeperamus, sic de improba muliere exclamat (vs. 1266 sqq.):

λάζυσθ', ἵν' αὐτῆς τοὺς ἀκηράτους πλόκους
κόμης καταξήνωσι Παρνασσοῦ πλάκες,
ἄθεν πετραῖον ἅλμα δισκευθήσεται.

Quin jam in eo est ut eam ad Phoebi aram trucidet, quum Pythiae et mox Palladis opera [2] discit eam esse suam ex Apolline matrem, jamdudum amissi filii vestigium quaerentem. Per conversionem subitam ira cadit, succedit gaudium, et mutuo amplexu mater et filius sese exosculantur [3]. Quis talia probet? Quis ferat tam caecum furorem repente mutatum in tam serenam laetitiam? Praeterea rogare licet an Creüsa insons esset, quod juvenem, cujus vitae erat insidiata, ipsius appareret esse filium; vel minus legitima Ionis ira, cum comperiret non a noverca sed ab ipsa matre necem sibi fuisse paratam [4]. Quanto melius omnia procederent si

---

parva vel nulla esset copia. Alioqui aut veram tragoediam scripsisset, in qua Ion moreretur, aut comoediam, cui non tam multa admiscuisset ex pulverulentis annalibus petita, ne omissis quidem Teleontibus caeterisque tribubus Jonicis (vs. 1579 sqq.).

[1] Vs. 974: πίμπρη τὰ σεμνὰ Λοξίου χρηστήρια.

[2] Ipse Apollo non audet se ostendere mulieri cui olim vim intulerat, sed mittit virginem Athenen, quae vs. 1556 sqq. ab eo se venire testatur; "mit feinem Gefühl" haec ita a poeta ordinata esse videntur Bernhardio pag. 427 et 487.

[3] Vs. 1437 sq.:

ὦ φιλτάτη μοι μῆτερ, ἄσμενός σ' ἰδὼν
πρὸς ἀσμένης πέπτωκα σὰς παρηΐδας.

"So schliesst alles ganz fröhlich, und der angestrebte Mord hat nichts "weiter zu bedeuten." Gruppe Ariadne pag. 413.

[4] Miror Bernhardium qui pag. 487, hoc drama dijudicans, ita scribit:

istis insidiis drama careret! Sed tunc nihil omnino tragici inesset, et plane Menandream fabulam haberemus. Nonne ex hoc exemplo liquet, quanto elegantior ejusmodi mulo futurus fuisset germanus equus?

Quum jam ad longioris hujus capitis finem pervenerim, in pauca verba mihi liceat colligere sententiam quam exposui. Euripides in poesi carebat facultate genetrice, idemque a religione populari recedebat. Quum autem, quibuscunque de causis, ad dramaturgiam se applicaret, vix potuit quin scriberet tragoedias, in quibus componendis quodammodo coactum se vidit ut vulgares de rebus divinis opiniones sequeretur, repugnante animo, et proinde, non citra fraudem, venditaret pro veris quae falsa esse sciret; id quod operibus ejus multimodis nocuit. Quare cum Aristophane tragicum ἄθεον graviter culpandum censeo.

"Euripides knüpft daran (mytho) *mit guter dramatischer Wirkung* eine "Reihe wachsender Verwicklungen; zuerst...., *dann* die grellen Ueber-"gänge vom leidenschaftlichen Hass zur *innigen* Liebe" etc.

CAPUT III.

EURIPIDES πολυμήχανος.

§ 1. *Aristophanis loci huc pertinentes.*

Ardorem poeticum me judice defuisse Euripidi ostendi. Unde tria mihi videntur explicari posse. Primo quidem inde intelligitur cur non novum genus poesis condiderit, sed tragoedias composuerit, τὰ μέγιστα tamen τῆς τραγῳδικῆς τέχνης παραλιπών, ut Aristophanes dixit [1], vel, ut Agathonis verba [2] ad eum detorqueam:

τὸ μὲν πάρεργον ἔργον ὡς ποιούμενος,
τὸ δ' ἔργον ὡς πάρεργον ἐκπονούμενος.

De hac re jam vidimus [3]. Deinde illa πολυμηχανία, quam passim Aristophanes ei objicit [4], mihi hinc fluere videtur. Tertio loco ex eodem fonte emanasse arbitror πολυγνωμικὸν illud, ῥήσεων illam ubertatem, multis laudatam sed ab Aristophane saepe acerbissime derisam.

Jam prius de πολυμηχανίας crimine agamus.

Complures sunt loci in Aristophanis fabulis ubi Euripidis carpitur nimia calliditas. Πανοῦργος ibi audit [5], peritissimus τοῦ τεχνάζειν [6]. Praeceptoris Socratis vafrum

---

[1] Ran. vs. 1494.

[2] Athen. V, pag. 185 a.

[3] Supra pag. 34 sqq.

[4] Quamquam hac dictione Aristophanes nunquam est usus; sed non est alia, quae vitium, toties ab eo increpitum, adeo ad unguem exprimat.

[5] Ran. vs. 80, 1520.

[6] Thesmoph. vs. 94 Mnesilochus sic de se et Euripide:

τοῦ γὰρ τεχνάζειν ἡμέτερος ὁ πυραμοῦς.

(i. e. *nam in certamine vafrorum inventorum nobis debetur praemium.*)

inventum, quod Nubium vs. 175—179 commemoratur, quodammodo huc pertinere videtur, et similiter Equitum locus ubi Phaedrae Euripideae ridetur versutum ingenium [1]. Thesmophoriazusarum autem altera pars tota est composita ad illudendam inventorum Euripideorum astutiam, quum in priore notatum esset ejus odium in mulieres de quo postmodo exponemus.

Hujus igitur fabulae argumentum hoc est: Euripides, comperto mulieres, quas acerbis dictis in tragoediis lacessiverat, de eo esse acturas in Thesmophoriôn concilio, Mnesilochum suum κηδεστὴν [2] mittit qui muliebri veste indutus iis se immisceat et pro Euripide verba faciat. Mox vero detegitur fraus et ab iratis feminis opprimitur. Non desperans tamen Mnesilochus, rebus asperis medelam quaerit. Sed ipsum audiamus loquentem (vs. 768 sqq.):

τίν' οὖν ἂν ἄγγελον
πέμψαιμ' ἐπ' αὐτόν; οἶδ' ἐγὼ καὶ δὴ πόρον
ἐκ τοῦ Παλαμήδους. ὡς ἐκεῖνος τὰς πλάτας
ῥίψω γράφων. ἀλλ' οὐ πάρεισιν αἱ πλάται.
πόθεν οὖν γένοιντ' ἂν ἀθλίῳ πλάται; πόθεν;
τί δ' ἄν, εἰ ταδὶ τἀγάλματ' ἀντὶ τῶν πλατῶν
γράφων διαρρίπτοιμι; βέλτιον πολύ.
ξύλον γέ τοι καὶ ταῦτα κἀκεῖν' ἦν ξύλον.
ὦ χεῖρες ἐμαί,
ἐγχειρεῖν χρὴ ἔργῳ πορίμῳ.
ἄγε δὴ πινάκων ξεστῶν δέλτοι,

[1] Equitum vs. 16 sqq. (cf. Eur. Hipp. vs. 345):

Dem. πῶς ἂν σύ μοι λέξειας ἀμὲ χρὴ λέγειν;
Nic. ἀλλ' οὐκ ἔνι μοι τὸ θρέττε. πῶς ἂν οὖν ποτε
εἴποιμ' ἂν αὐτὸ δῆτα κομψευριπικῶς;
Dem. μή μοί γε, μή μοι, μὴ διασκανδικίσῃς.

[2] Si fides habenda alteri biographo in Dind. editione et Suidae, erat pater prioris uxoris Euripidis, cui Choerilae nomen. Primus biographus Choerilen posteriorem Euripidis uxorem fuisse dicit; Mnesilochum autem συμπεποιηκέναι (in fabulis componendis) Euripidi, citans Teleclidis versus jam supra allatos pag. 16 adn. 4.

δέξασθε σμίλης ὀλκούς,
κήρυκας ἐμῶν μόχθων. οἴμοι,
τουτὶ τὸ ῥῶ μοχθηρόν.
χώρει, χώρει· ποίαν αὔλακα;
βάσκετ', ἐπείγετε πάσας καθ' ὁδούς,
κείνῃ, ταύτῃ· ταχέως χρή.

Attuli locum longiorem sed valde festivum, et ex se ipso explicandum. Scilicet Palamedes, in fabula Euripidea ab ejus nomine dicta, de nece quam sibi paratam videt ut patrem Nauplium certiorem faciat, Oeaci fratri mandat, ut literas tristem eventum nunciantes inscribat remis eosque in mare dejiciat, qui fluctibus ad patrem deferantur [1]. Hoc autem inventum ridicule imitatur Mnesilochus ut ad Euripidem perveniat sui periculi nuncius.

Postquam vero τῇδ' οὐκ ἔσπασεν [2], quum non appareat Euripides, Mnesilochus suspicans ideo eum non venire quod Palamedem ψυχρὸν ὄντ' αἰσχύνεται, tentat aliud, et Helenam καινήν, recentem ergo fabulam [3], vocat in usum ut Euripidem alliciat; ipse Helenam agens plures ex ea tragoedia recitat versus [4], neque frustra, mox enim Euripides prodit sumta Menelai persona, et agnita uxore in eo est ut illam abducat, quum accedentem videt cum τοξότῃ Prytanem: ergo se proripit, pollicitus

[1] Miror Wagnerum in Fragm. Euripid. editione ad fragm. 587 (Palamedis VIII) adnotasse: "utrum autem Palamedes fratri haec tantum suaserit an revera Oeax in tragoedia fecerit, dubitari potest. Certe ex Aristoph. Thesm. vs. 768 nihil consequitur." — Itane vero? Immo mihi videntur lucide ostendere Aristophanis verba, Oeaca conspectum fuisse in scena tristem nuncium remis insculpentem, et fidenter contendo Mnesilochi illam cantilenam: ὦ χεῖρες — μόχθων ad ipsius Oeacis verba esse adumbratam, et inprimis illud βάσκετ' etc., quum hi versus Euripideo colore tincti sint. — Nauckius quoque de vs. 778–780 scripsit: "extrema verba fortasse ex ipso Euripide repetita sunt."

[2] Vesp. vs. 175, Thesmoph. vs 928.

[3] Schol. ad vs. 1021 tradit eam scenae esse commissam simul cum Andromeda, quae anno ante Thesmophoriazusas est acta; vd. vs. 1060.

[4] Vs. 855 sqq.

tamen se iterum suppetias venturum Mnesilocho, nisi se deficiant *αἱ μυρίαι μηχαναί* [1].

Miser autem Mnesilochus, vinculis constrictus, a Scytha custoditur; mox vero adspicit Euripidem sub Persei persona redeuntem [2], unde intelligit sibi nunc Andromedae partes esse sustinendas, quod alligatus palo, ut illa rupi, poterit commode. Canit longam monodiam (ejus quam Andromeda Euripidea cantaverat imitationem), quam Euripides, Echo adsimulans, intercinit [3] perquam jocose; hic deinde Perseum agens solvere parat Andromedam; Scytha tamen eam dimittere non vult, adstantemque vindicem negat aliud esse nisi senem improbum, quin stricto denique gladio minatur fictitio illi Perseo. Iterum igitur fugere coactus Euripides, aliquid novi machinatur; scilicet cum mulieribus pactus ut permittant ei solvere Mnesilochum, si fallere possit Scytham, *ἐφ' ᾧτ' ἀκοῦσαι μηδὲν ὑπ' ἐμοῦ μηδαμὰ κακὸν τὸ λοιπόν* [4], sub lenae persona progreditur cum venusta meretricula, quae Scytham amoris stimulis incitat; hic autem dum cum puella aliquantisper secedit, Euripides liberat Mnesilochum, et Scytha reversus scenam vacuam invenit, delusus vafritia Euripidis, qui post crebra artificia victor, gratias agit Hermae Dolio *ὃς ταυτὶ μὲν ἔτι καλῶς ποιεῖ* [5].

Facile perspicitur quid comicus ludendo hic vituperet. Oeacis scilicet ratio nunciandae mortis fraternae, Echo *λόγων ἀντῳδὸς ἐπικοκκάστρια* [6], haec et similia inventa callidiora quam pro tragicae scenae dignitate ei videbantur.

---

[1] Vs. 927.

[2] Vs. 1011.

[3] Vs. 1056—1096. Euripides *τὴν ἠχὼ εἰςήγαγε κακοστένακτον ἐν τῇ Ἀνδρομέδᾳ* (Schol.).

[4] Vs. 1162.

[5] Vs. 1202.

[6] Vs. 1059.

Num recte judicavit? Equidem affirmare non dubito, quum causam ejus πολυμηχανίας, ut dixi, repetam ex poetici ardoris segnitie. In duas autem partes mihi videtur commode dividi posse haec accusatio: nempe *nimis multa* invenisse Euripidem, et *nimis callide.*

§ 2. *De crimine inventionis nimis multiplicis.*

Ad prius vitium non ita aperte alludit Aristophanes, necenim inde tam aptam poterat jocorum materiem desumere quam ex inventis nimis callidis. Non tamen dubito quin in πολυμηχανίᾳ Euripidea non minus immodicam rerum tractatarum copiam (τὸ πολύ) quam nimis vafra inventionis artificia (τὸ μηχανᾶσθαι) respexerit. Videamus igitur quomodo abundantia materiae vituperationi possit esse obnoxia.

Lex quae poscit in artis opere unitatem et simplicitatem, non excogitata est ab Aristotele aliove critico, sed orta ex ipsa rerum natura. Ita constituti sumus, ut non duas res simul aut sensibus percipere aut animo attendere possimus. Si plura eodem tempore sunt observanda, imago rerum se offeret minus distincta ideoque levius mentem tanget. Gallicum proverbium, quod negat te bene tenere quae nimia complectaris, non de brachiis tantum valet, sed de animo perinde. Hinc fit ut sine unitate, absit pulchritudo. Vos testor, artis Apelleae cultores. Nonne in picturae compositione id agitis, ut una quaedam figura vel figurarum collectio caeteris praemineat et quasi dominetur, ita ut primo se obtutu spectantium oculis offerat? Ecquis vestrum pinget binas arbores aeque proceras, alteram a dextra, alteram a sinistra, aut longae plateae sibi omnes domos delineandas eliget? Immo in anteriore tabulae parte pauca tantum, sed ea vivida, elaborata et inter se juncta conspi-

cienda praebetis, caetera, illinc quodammodo remota, manu leviore tractatis. Neque in luce et umbra disponendis quicquam vobis cautius vitatur quam vitium illud, quod vernacule propria voce [1] appellatis, Latinae versioni minus apta sed rem perbene exprimente (nec male nonnullarum Euripidis fabularum mendum designante), quo oculi turbantur, nullum locum invenientes quo prae caeteris alliciantur et ubi requiescant. Eadem valent de iis quoque artis operibus quae non oculis sed auribus vel etiam sola mente percipiuntur, inprimis autem de arte tragica, quam vocarunt picturam e verbis constantem, ut pictam tabulam poema coloribus expressum. Una sit res, unus μῦθος qui agatur, una persona ad quam praecipue sit attendendum, et cujus casus nobis cordi sint; "denique sit quidvis simplex duntaxat et unum." Si duo mortui simul sunt plorandi, utrum potius fleamus haeremus incerti et fortasse lacrimis omnino abstinebimus. Si plures sunt amandae, admirandae, abhorrendae tragicae personae, nulla penitus tanget nostrum animum, et affectus in nobis evocabitur aut levis aut nullus. Una esto quae primas revera agat partes, nulla relicta dubitatione annon duos vel plures etiam spectemus πρωταγωνιστάς.

Hac in re verus poeta non magis errabit quam verus pictor vel musicus. Ut unum seminis granum terrae commissum, ubi radices egit, in multos ramulos plurimosque florum calyces se diffundit, sic in animo boni artificis materies, quam sibi elegit, quasi surgit et augescit, post inter tractandum crescit in opus plenum, multiplex, magnae fortasse amplitudinis, sed ita quoque inter se cohaerens, et tam "prodigialiter unum", ut nulla pars tolli possit sine totius corporis detrimento. Contra artifices qui sunt πονηροτέρου κόμματος, carent

[1] "Rammelen." Aliquatenus tamen conferri potest verbum Latinum *horrere*.

ista animi vi procreatrice quae fecundat semina recepta; non texunt sed consuunt, non faciunt sed componunt, non ex uno principio deducunt varias partes, sed diversas partes hinc illinc correptas in unum conglutinare studeant, et ut multa proferant multa etiam acceperint necesse est.

Tragoedia vero prae reliquis poesis generibus poscit simplex argumentum. Quo "potenter lecto", non verba modo non invita sequentur, sed tota fabulae textura sensim ducetur sine hiatibus, et non opus erit ut aliunde petantur fulcra, quibus tela compositionis annectatur. Neque profecto artis est reconditae, cum ipse poeta norit quorsum omnia sint evasura, invenire nonnulla quae exitui praeparando inserviant; facillimum vero est multa sine discrimine in fabulam congerere et hac ipsa varietate detinere spectatorum animos. Sed talia commoda et adjumenta verus tragicus contemnet; quaecunque non ex ipso argumento efflorescunt aegre admittet, et si interdum episodia quae dicuntur, ubi apte collocari possunt, fabulae intertexere non dedignatur, ne tum quidem obliviscetur legis, quae ei sancta est, simplicitati et unitati operis ante omnia consulere jubentis.

Quum autem vis illa divinitus creatrix non concessa fuerit Euripidi, non mirum est si, nonnunquam certe, incidit in ea quae indicavi vitia et, simplicitate tragicorum argumentorum relicta, in compluribus fabulis ad minus severam comoediae structuram accessit. Non tam gregarius tamen erat poeta, quin e simplici quoque argumento potuerit ducere plenam succi nervorumque tragoediam: testes sunt egregiae illae fabulae Hippolytus et Medea [1]. Sed tamen saepius in ea re lapsus est, ut

[1] Ex hac tamen abesse mallem illud episodium paene ludicrum de Aegeo. Neque aliter judicat Bernhardius pag. 455: "das Gespräch und "der Bund mit Aegeus ist ein ebenso mangelhaftes als überhängendes "Glied der Oekonomie." Cf. Arist. poet. 25.

paene dicas eum gloriae amore ductum, cum alios poetas arte se superare posse desperaret, materiae certe copia vincere voluisse [1]. Sic in Phoenissis componendis, quum Aeschylum Sophoclemque, qui idem argumentum tractaverant, aemularetur, id excogitavit, ut cunctas Labdacidarum calamitates, quarum singulae illis uberem dramatis materiem suppeditaverant, unius fabulae finibus includeret; credas eum putavisse, quo plura numerarentur funera, eo meliorem et graviorem fore tragoediam; praeterea Antigones illa τειχοσκοπία, quae post Jocastae frigidum prologum per 160 versus se trahit, etsi per se suavis imitatio Homeri, ad fabulae argumentum nihil confert, ut ab hypotheseos scriptore vere observatum. Sed inprimis dolendum, Menoecei mortem in hac fabula esse memoratam: generosi pueri nobile letum dignum erat quod paulo aliter caneretur quam in transitu, duodecim tantum versibus in nuncii narratione de eo agentibus. Nec non in aliis fabulis similia occurrunt incommoda. In Hecuba inter Polyxenae et Polydori funera, quae nullo vinculo sunt juncta [2], dividitur spectatorum animus. In Heraclidis cum Macariae voluntaria mors tum Eurysthei poena cantatur. In Supplicibus episodium de Evadne in mariti Capanei rogum se

[1] Non facile adducar ut calculum adjiciam Bernhardio, ita de hac rerum abundantia rationem reddenti (pag. 432): "dieses Unmass eines überla-"denen Plans.... sollte die Verflechtung der geheimen Fäden in der "sittlichen Welt anschaulich machen, und beiläufig auf die verborgenen "Wege der Gottheit im unklaren Lebenslauf der Menschen hinweisen." (Vide etiam pag. 159.) — Sic poetae antiquo consilia et opiniones tribuuntur de quibus ne unquam somniavit quidem: certe non satis erat expressisse hanc opinionem, quae nisi solidis argumentis fulciatur, perpaucos puto ex Euripidis lectoribus fautores nactura est.

[2] Quin ubi agatur res, utrum in Chersonneso an in Trojano agro, non constat; cf. vs. 33 sq. cum vs. 954 et 1111 sqq. Pflugkium, cupidius, ut solet, ab Euripide hic quoque omnem culpam amovere studentem, tam egregie me judice refutavit G. Hermannus in suae editionis prolegomenis, ut mirum si quis sibi ab eo persuaderi non patiatur.

conjiciente ab argumento est alienissimum et ne per se quidem ad tangendam spectantium mentem mihi aptum videtur [1]. In Andromaches priore parte de ipsius heroinae misera conditione agitur, in altera vero deflenda nobis est Pyrrhi mors, cum Hermiones ira in Andromachen vix cohaerens [2]. De Ionis illa parte in qua insidias filio parat mater, meam opinionem jam ostendi supra pag. 36 sq. Prae reliquis vero Troadum tragoedia hoc nomine est vituperanda, quippe in quam congestae sint res plurimae ad Trojae expugnationem pertinentes sed caeterum nulla copula inter se connexae: Polyxena mactata ad Achillis tumulum, Astyanax Pyrrhi jussu de muro deturbatus, Cassandra fatidico furore correpta, Helena rea acta ab Hecuba et coram Menelao se defendens; Hecuba autem et Andromache ob liberorum caedem longis querelis indulgent, et in fine fabulae chorus oculis objectum Trojae incendium lamentatur. Has epici carminis materias in dramate tragico non coacervandas fuisse, vel me tacente quivis intelligit; tota enim ἄλωσις illa non potest una tragoedia tractari, ut ab Aristotele (Art. poet. 18) verissime est observatum. Ergo aliquam ejus partem de qua ageret eligere debuisset Euripides; nunc vero centonem potius composuit quam drama bene ordinatum.

---

[1] Nisi res ageretur lugubris, risum praeberet Evadne, antequam desiliat de scopuli cacumine subsanniens misero patri, versibus paene comicis, ab ista persona istoque tempore prorsus alienis (vs. 1045—1072). Apage illud episodium, quo semoto restat non tragoedia quidem, sed pulcherrimum tamen carmen, ad epicum genus proxime accedens.

[2] Non ideo enim ab Oreste, scelesti sicarii partibus fungente, interimitur Achillis filius, quod Hermionen despicatui haberet, servata secum pellice Andromache, sed quod eam uxorem duxerat, ipsi Oresti pridem desponsam. Neque opus erat Pyrrhum in orcum demittere ut liberaretur Andromache. Hic ad G. Hermannum provocare licet, acerbe damnantem argumentum hujus fabulae in prolegomenis, pag. 13.

§ 3. *De crimine inventionis nimis callidae.*

Alterius vitii, *nimis callidae inventionis*, exempla ex Euripide afferre non difficile est. Huc pertinet me judice illud Helenae *εἴδωλον ex aethere* confectum [1], (aliquatenus Euripideum inventum, etsi Stesichorus primus excogitavit [2]), quod Paris secum abduxerit Trojam, ita ut per bina lustra inter Asiam et Europam dimicatum sit *περὶ σκιᾶς* non *ὄνου* quidem, sed de umbra tamen, quamvis formosae mulieris, quum vera Helena in Aegypto latitaret [3]. Parum etiam astutia, qua Iphigenia Taurico regi Thoanti et Helena Aegyptio regi Theoclymeno verba dant, tragicae scenae convenire videtur, cum in Plautino pulpito bene placere posset [4]. In fine Iphigeniae Tau-

---

[1] Helen. vs. 590.

[2] Euripideum *εὕρημα* eo sensu voco, quod Euripides hanc fictionem tam vehementer probavit ut eam dramati substraverit materiem. Nec mirum est, avide eum arripuisse imaginem aethere ex confectam, qui aethera in suis fabulis tantopere crepuerit (cf. supra pag. 19 adn. 4 et 21 adn. 2); "allein diess ist eine Art, die Mythologie zu verbessern, wo-durch sie den Mährchen in Tausend und einer Nacht ähnlich wird." (Schlegel Vorl. über dram. Kunst u. Lit. I [2], pag. 262).

[3] Non dubito quin hac fabula voluerit a bello dehortari Euripides, id prope unum cum comico consentiens, quod bellum abhorreret uterque, hic tamen magis quia civitati perniciosum, ille quia philosophiae praeceptis contrarium duceret. *Νεφέλης ἄρ' ἄλλως εἴχομεν πόνους πέρι*, dicit quidam e Menelai ministris vs. 713. Inprimis meae sententiae favent verba chori vs. 1166 sqq.:

ἄφρονες ὅσοι τὰς ἀρετὰς πολέμῳ
κτᾶσθε δορὸς ἀλκαίου τε λόγ-
χαις καταπανόμενοι πό-
θους θανάτων ἀμαθῶς. — Vd. etiam vs. 1236.

Non intempestive, opinor, hic afferam locum e Platonis Rep. IX, pag. 586 C, ubi Socrates vana hominum studia, non veras sed *ἐσκιαγραφημένας ἡδονὰς* venantium, cum Trojanorum stultitia comparat, quibus *τὸ τῆς Ἑλένης εἴδωλον περιμάχητον γενέσθαι ἀγνοίᾳ τοῦ ἀληθοῦς* auctor sit Stesichorus.

[4] Vd. modo Helen. vs. 1304—1316, ubi acute satis, sed jocose potius quam tragice, ambiguis verbis Helena et Menelaus ludificant Theoclymenum.

ricae Athene ex scena alloquitur Orestem non praesentem, ne conspicuum quidem, sed quem procul in aequore scimus navigare:

κλύεις γὰρ αὐδήν, καίπερ οὐ παρών, θεᾶς.

Hunc versum ideo Athene profert, ut ea quae proxime sequuntur, ad Orestem pertinentia et in Athenarum gloriam addita, commode possint enarrari; sed tam miram fictionem, comicae itidem scenae fortasse accommodatam [1], quis probet [2]? Non majore laude digna mihi videtur frigida sollertia, qua poeta in Ione narrat quomodo crepundia, per quae juvenis agnoscitur, intacta fuerint ab Apolline servata [3]; praestaret de ea re omnino tacuisse. Etiam columbae, per quas nefarium Creüsae consilium detegitur, meo sensu longius a poeta sunt arcessitae. In Electra quoque compluscula sunt πανουργίας exempla. Primo loco huc refero heroinae fictitias cum Auturgo nuptias. Tragicae porro gravitati parum consentaneam duco artem qua Agamemnonis liberi utuntur ut Aegisthum inprimisque Clytaemnestram nullo praesente custode occupent. Neque video cur cicatrix, qua apud Euripidem Orestes Electrae notescit, tantopere praestet cincinno, vestigiis et veste, quae in eundem usum adhibuit Aeschylus, idcirco ab Euripide salsius quam dignius derisus [4]. Quid

[1] Ut in Plaut. Amphitr. vs. 976 sq. Jupiter loquitur:

Nunc tu divine mi huc fac adsis Sosia;
audis quae dico, tametsi praesens non ades.

Saltem hîc deus Mercurius, non vero ut in Euripidis loco homo dicitur audire e longinquo divinam vocem.

[2] Plane aliud est, quum Athene dicitur Orestem vel e longinquo audire, Aesch. Eumen. vs. 297, quia

κλύει δὲ καὶ πρόσωθεν ὢν θεός.

[3] Ion. vs. 1391—1394; 1433—1436.

[4] Electr. vs. 508—546. "Unicus poetae scopus est Aeschylum irridere." (Musgrave.) Euripides spectavit Aeschyli in Choëphoris versus 168—180. 205—210, 231 sq. Vere Schlegelius (Vorl. über dram. Kunst u. Lit. I² p. 235) de hoc joco parum opportuno observat: "die ausdrücklichste Rück-"sicht auf eine andre Behandlung desselben Gegenstandes ist das störendste, "ächter Poesie fremdeste, was es geben kann."

vero omnino opus erat tam laboriosa agnitione? Si Orestes diceret: "ego sum frater tuus," poterat id virgini eodem fere modo probare, quo alteri sorori, Iphigeniae, notus fit in Tauride, talia commemorando, quae solus Orestes posset scire. Hac quidem in re Euripideo dramati longe antecellit Aeschyleum, in quo paucis versibus absolvitur agnitio, quum per longam Euripideae fabulae partem protrahatur [1]. De callidis vero in Palamede et Andromeda inventis, quae ex Aristophanis salibus (cf. supra pag. 40 sqq.) novimus, tacere malo, quum e fragmentis vix aequum judicium constitui possit de totis fabulis [2].

Ad inventa callidiora pertinere etiam videtur creber ille usus *somniorum* in Euripidis fabulis, quem risit Aristophanes in festivissima imitatione [3] monodiae quam

---

[1] Vere Dindorf. Poet. Scen. pag. 20: "Electra multo melior tragoedia "evasura fuisset, si Euripides Aeschyli in Choëphoris aut Sophoclis in "Electra exemplum secutus esset, nec novis illos inventis superare irrito "conatu studuisset."

Apud Sophoclem quoque *βοστρύχῳ τετμημένῳ* agnoscitur Orestes, non tamen ejus colore ut apud Aeschylum, sed Chrysothemis invento ad Agamemnonis tumulum cincinno, inde intelligit Orestem hoc pietatis pignus ibi deposuisse (vs. 900 sqq.). Anagnorisis autem apud Sophoclem non cito quidem fit, quum Electra Orestesque inde a vs. 1098 ad vs. 1172 colloquantur sibi invicem ignoti, et deinde ad vs. 1221 Orestes, etsi agnita sorore, quis ipse sit dicere cunctetur; sed mutua agnitio duos tantum implet versiculos, vs. 1222 sq.:

Electr. ἦ γὰρ σὺ κεῖνος;
Orest. τήνδε προςβλέψασά μου
σφραγῖδα πατρὸς ἔκμαθ' εἰ σαφῆ λέγω.
Electr. ὦ φίλτατον φῶς etc.

[2] Admodum facete de quaestione, quatenus in tragico poeta laudanda sit inventio, egit Lessingius (Hamb. Dramaturg. n°. 31 sqq.), ubi coarguit Gallicum poetam Corneille nequicquam sibi perplacuisse in operosa structura tragoediae Rhodogunes. Cum eo consentit van Limburg Brouwer, Proeve over... Euripides, pag. 165, ubi Racinii Phaedram cum Hippolyto Euripidis comparans, de iis quae Gallicus poeta nova adjecerat simplici argumento Euripideo sic loquitur: "hier is geen andere verdienste dan die van *la difficulté vaincue.*"

[3] Ranar. vs. 1331 sqq.

Hecuba canit Euripidea [1], longiore tamen quam quae hic exscribatur. Etiam in Vesparum initio, ubi duplex somnium narratur, comicus fortasse Euripidem respexit. Miri abusus praebet exemplum Rhesus fabula, in qua Rhesi auriga refert [2] ut somnio viderit lupos insilientes tergis equorum herilium, expergefactus autem trucidatum invenerit Rhesum et equos ab Ulixe et Diomede abductos. Numen igitur vel equorum sortem dignam judicat de qua signa edat? Sed e dramate illo suspecto argumenta petere nolo; aliud potius adeamus quod certae est originis, Iphigeniam Tauricam, in cujus prologo per anilem superstitionem somnio quodam Iphigenia portendi putat mortem fratris Orestis. Scio quidem Euripidem non primum somniis in tragoedia usum esse, sed male usum contendo; neque quod aliis licebat, sibi quoque permittere debuerat; hoc enim divinationis genus usurpare in fabulis sua eum vetabat philosophia, unde norat pro inani commento habendam esse illam *ὀνειρομαντείαν*.

A *πολυμηχανίᾳ* porro non disjunctus est frequens deorum interventus de quo jam vidimus (supra pag. 29 sqq.). Saepe enim ut deos deduceret in scenam coactus est parum naturali dramatum structura, qua fiebat ut non nisi alter quidam Prometheus, *δεινὸς εὑρεῖν κἀξ ἀμηχάνων πόρους* [3], nodos tam laboriose contortos posset solvere, Euripides autem, quantumvis callidus, nisi deus navaret operam, tragoediae finem invenire nequiret.

---

[1] Hecub. vs. 68.

[2] Rhes. vs. 780 sqq.

[3] Aesch. Prom. vs. 59.

CAPUT IV.

EURIPIDES IN SCENA PHILOSOPHUS.

Jam ad tertium vitium transeamus quod e languore ignis poetici fluere dixi (supra pag. 39): πολυγνωμικὸν illud, ῥήσεων philosophicarum in ejus tragoediis abundantiam, quae a multis saepe laudata sed Aristophani derisione digna visa est.

In noto Ranarum loco Euripides suam fabulas componendi rationem describens, ego, dicit, arti tragicae subduxi nimium tumorem Aeschyleum, χυλὸν διδοὺς στωμυλμάτων, ἀπὸ βιβλίων ἀπηθῶν (vs. 943). Libri illi Euripidis iterum occurrunt vs. 1409, ubi Aeschylus perquam superbe dicit, tria sua verba si libra pendantur, majus habitura pondus quam adversarium cum familia sua et tota sua bibliotheca alteri lanci impositum. Constat autem etiam aliunde, (Athen. Epit. I, pag. 3), revera Euripidem colligendorum librorum valde studiosum fuisse, et vel primum extitisse qui privatam bibliothecam haberet. Neque dubitandum est quin sedulo iis subsidiis doctrinae usus sit; testes sunt passim ejus fabulae, eum plus nimio e veteribus membranis hausisse. Tragoedias cum meditaretur non secutus est auream regulam, quae antiquitus aeque valuit ac hodie:

"Materiem ex hominum media modo sumite vita[1]",

sed potius inter thesauros eruditionis quos sibi conquisiverat degens, vitam et homines e bibliothecae suae

[1] "Greift nur hinein ins volle Menschenleben." (Goeth. Faust prol.) In narratiuncula apud Val. Maximum III, 7 jactat se operam dare ut populum doceat, *non ut ab eo discat*.

latebris perspicere et pernoscere se posse putabat [1]. Quod quam ridiculum deberet nostro comico videri, etiamsi nullus superesset locus ex ejus fabulis qui testaretur, quivis tamen sua sponte intelligeret cui Aristophanis indoles non plane incognita: hic enim "mores hominum multorum videre" unice necessarium ducebat poetae, hominum ingenia et studia, errores et virtutes descripturo; neque de eruditione admodum erat sollicitus, librosque tantumnon oderat, ut docet fragmentum e Tagenistis servatum apud schol. Nub. vs. 360 (fragm. 418 Dind.):

τὸν ἄνδρα τόνδ' ἢ βιβλίον διέφθορεν,
ἢ Πρόδικος, ἢ τῶν ἀδολεσχῶν εἷς γέ τις.

Quantum autem profecerit Euripides in scientia rerum naturalium et philosophicarum, nescio [2]. Dixeris tamen

[1] Lessing. Hamb. Dramat. n°. 94 sq. affert hanc Angli Hurd interpretationem dicterii Sophoclis, quod legitur apud Aristot. poet. cap. 25: Σοφοκλῆς ἔφη, αὐτὸς μὲν οἵους δεῖ ποιεῖν, Εὐριπίδην δὲ οἷοι εἰσί: "Sophokles hatte durch seinen ausgebreitetern Umgang mit Menschen die einge-"schränkte enge Vorstellung, welche aus der Betrachtung einzelner Cha-"raktere entsteht, in einen vollständigen Begriff des Geschlechts erweitert; "der philosophische Euripides hingegen, der seine meiste Zeit in der "Akademie (an potius domi?) zugebracht hatte und von da aus das Leben "übersehen wollte, hielt seinen Blick zu sehr auf das Einzelne, auf wirklich "existirende Personen geheftet, versenkte das Geschlecht in das Individuum, "und malte folglich, den vorhabenden Gegenständen nach, seine Cha-"raktere zwar natürlich und wahr, aber auch dann und wann ohne die "höhere allgemeine Aehnlichkeit die zur Vollendung der poëtischen Wahr-"heit erfordert wird." — Cf. Bernhard. pag. 399 sq.

[2] Vereor an habeat quo nitatur opinio Bernhardii, pag. 401 ita judicantis: "dem Anaxagoras verdankt Euripides eine positive Summe der Natur-"philosophie."

Valckenarius, in notissima Diatribe, congessit plurima ex Euripide loca philosophiam naturalem tangentia, unde tamen, si quid video, id tantum apparet, Euripidem sententias, olim a praeceptoris ore sublectas tenacique servatas memoria, non raro expromsisse quibus ornaret suas fabulas ceu gemmis pretiosis. Ex magno illo numero locorum ad μετέωρα pertinentium frustra coneris efficere qualem notionem de rebus sublimibus Euripides sibi fecerit, nedum de ejus opinionum fundamine et cohaerentia judicare possis. Vix de ulla re ei constitisse videtur; hic quoque, ut in rebus theologicis, incertus circumvagatur; clara et solida illa philosophiae natu-

eum ultra prima elementa non multum processisse; nam quod quis ita perdidicit ut verterit in succum et sanguinem, id nunquam ei officit, sed de iis quae primoribus tantum labiis gustavimus garrire vulgo mira quadam ferimur libidine, cujus rei exempla saepe in clarorum hominum vitis offendimus, ut qui magna et bene merita gauderet celebritate, gloriolam quaereret ab arte vel studio, in cujus rudimentis substitisset et unde nunquam nomen inclytum foret adeptus [1]. Sed quicquid de Euripidis in hac scientia profectibus statuimus vel conjicimus, nulla certe disciplina mihi videtur minus aptam materiem suggerere poetae tragico, quam philosophia naturalis et illud τῶν μετεώρων studium quod Euripides affectabat. Priusquam tamen haec pluribus prosequamur, afferendi sunt loci Aristophanei huc pertinentes.

Jam statim in prima quae servata est comici fabula, Acharnensibus, hoc nomine carpitur tragicus. Aditurus ibi Dicaeopolis Euripidem, sic interrogat vernam [2] ejus Cephisophontem qui januam ei aperit (vs. 395 sqq.):

Dic. ἔνδον ἔστ' Εὐριπίδης;
Ceph. οὐκ ἔνδον ἔνδον ἐστίν, εἰ γνώμην ἔχεις.
Dic. πῶς ἔνδον, εἶτ' οὐκ ἔνδον;
Ceph. ὀρθῶς, ὦ γέρον.
ὁ νοῦς μὲν ἔξω ξυλλέγων ἐπύλλια
οὐκ ἔνδον, αὐτὸς δ' ἔνδον ἀναβάδην ποιεῖ
τραγῳδίαν.

---

ralis notitia, quam Bernhardius l.l. ei largitur, ubi tandem lateat equidem miror.

[1] Nimirum idem omnes fallimur, neque est quisquam quem non in aliqua re videre Suffenum possis. (Catull. 22 : 18 sqq.) —

Συγγενεῖ δέ τις εὐδοξίᾳ μέγα βρίθει.
ὃς δὲ διδάκτ' ἔχει, ψεφηνὸς ἀνήρ,
ἄλλοτ' ἄλλα πνέων, οὔποτ' ἀτρεκεῖ
κατέβα ποδί, μυριᾶν
δ' ἀρετᾶν ἀτελεῖ νόῳ γεύεται. (Pind. Nem. III.)

[2] Rectius fortasse dixeris discipulum; cf. infra Cap. IX med.

Vides hic quum rideri Euripidis speciosum et philosophicum dicendi genus, saepe ad ea quoque enuncianda adhibitum quae trita essent et vulgaria, quod vel in janitoris verbis cernitur (vs. 400 sq.), tum inane sublimium rerum studium, ubi Euripides dicitur ἀναβάδην [1] componere tragoediam.

Simillimum locum suppeditat Thesmophoriazusarum initium, Mnesilochi cum Euripide continens dialogum:

Mnesil. *O Euripides, numquid a te discere licet quo me ducas?*

Eur. *At quae statim praesens videbis non audire te oportet.*

Mnesil. *Quid ais? Iterum dic: non audire me oportet?*

Eur. *Non ea quae visurus es.*

Mnesil. *Neque forte videre me oportet?*

Eur. *Non ea quae auribus sunt percipienda.*

Mnesil. *Quid tandem jubes? docte tamen loqueris. Dicis oportere me neque audire neque videre.*

Eur. *Haec duo enim natura sunt sejuncta.*

Mnesil. *Videre et audire?*

Eur. *Scilicet.*

---

[1] Non plane constat quid hoc vocabulum significet. Scholia haec habent: *ἀναβάδην, ἄνω τοὺς πόδας ἔχων ἐπὶ ὑψηλοῦ τόπου καθήμενος.* Quae capiat qui capit. Suspicor duo interpretamenta confluxisse in unum, et post *ἔχων* plene distingnendum esse, ut scholion ita vertatur: *ἀναβάδην*] *resupinus sursum porrectis pedibus. — In alto loco sedens.* Simili ratione a Tib. Hemsterhusio emendatum est et expositum scholion ad Plut. vs. 1123.

Hermannus ad Viger. pag. 373 explicat: *pedibus sursum versus extentis, pendente ac supino capite, = negligenter ac perfunctorie.* Sed sic parum hic versus cum praecedente cohaereret; neque unquam *negligentiae* reum fecit Euripidem comicus, ne hac quidem in fabula, sed potius diligentiae justos limites egredientis.

Optimum igitur puto, Suidam, Hesychium et scholii partem posteriorem sequi, et *ἀναβάδην* vertere *sublimis, in sublimi sedens,* unde *descendere* se posse negat Euripides vs. 409. Cf schol. ad vs. 410: *φαίνεται ἐπὶ τῆς σκηνῆς μετέωρος* (fortasse in *κρεμάθρᾳ* ut Socrates Nub. vs. 226).

Mnesil. *Qua vero ratione?*

Eur. *Haec tunc ita fuere distincta. Nam ut primum secessit Aether et animantes motu praeditos in se procreavit, qui visui inserviret oculum finxit primum, exemplo sumto ab orbe solis, aures vero perforavit ad instar infundibuli* [1].

Mnesil. *Ergone infundibulum in causa est cur ego neque audiam neque videam? Profecto gaudeo me hoc novi addidicisse. Ut prodest cum sapientibus consuetudo* [2]*!*

Eur. *Similia his multa a me possis discere.*

In Ranis quoque complures sunt loci ubi Euripidis studium sapientiae commemoratur vel deridetur. Sic Ran. vs. 1413 Dionysus:

τὸν μὲν γὰρ ἡγοῦμαι σοφόν, τῷ δ' ἥδομαι.

ubi verissime Aristarchus, teste schol., priorem versus partem de Euripide, alteram de Aeschylo accepit; et vs. 1434 de iisdem idem:

ὁ μὲν σοφῶς γὰρ εἶπεν, ὁ δ' ἕτερος σαφῶς.

Lepide quoque vs. 1445:

ἀμαθέστερόν πως εἰπὲ καὶ σαφέστερον

compellat illum nimis doctum poetam, tamque sapienter

---

[1] Aegro versui 18 non puto medelam esse allatam emendatione Reiskii, quam Dindorfius textui inseruit, δίκην pro ἀκοήν legentis. Infundibulum illud vellem aliquis felici conjectura hinc abigeret.

[2] Sunt qui hic alludi existiment ad versum quem Plato Rep. VIII, pag. 568 ut Euripideum citat, quum alii attribuant Sophocli: σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν συνουσίᾳ. Vidi dissertationem doct. A. Trosee (Lugd. Bat. 1854), qui putat pag. 6, Euripidem hunc versum "suffuratum esse Sophocli, idque ei h. l. salse ab Aristophane exprobrari" — quod equidem multis de causis parum verisimile duco, neque salsi quicquam hic detegere possum.

In illo libello, judicium Aristophanis de plerisque civibus aequalibus exhibente, brevissime pro suo consilio, sed non male, exposuit scriptor quae de Euripide habet comicus. Longe eum tamen superat T. Halbertsma in opere ἡμιτελεῖ quod sub titulo prosopographiae Aristophaneae anno post prodiit, bonae frugis plenum.

loquentem ut jam vs. 1169 post responsum ejus mire implicitum exclamarit Dionysus:

εὖ νὴ τὸν Ἑρμῆν — ὅ τι λέγεις δ' οὐ μανθάνω.

Si vere Kockius statuit sub Dionysi persona in hac comoedia latere populum Atheniensem theatra frequentantem [1], comicus ultimis duobus locis sine dubio innuit, spectatores saepe non potuisse intelligere sublimia Euripidis dicta, et ea ipsa fortasse de causa plausu probasse [2].

Praeter hos locos, in quibus Euripides nominatim perstringitur, plures sunt etiam, Aristophanis de nova philosophia judicium ostendentes. Sic Meton, notus ille mathematicus, astronomiae bene peritus, Attici calendarii emendator, in Avium comoedia flagris abigitur ex Nubilicuculia (Av. vs. 992—1020) simul cum sycophantis et oraculorum plebisque scitorum venditoribus. Inprimis vero huc pertinent quae de Euripidis amico Socrate dicuntur in Nubibus, quae fabula, ut in crimine ἀσεβείας, sic etiam ubi de intempestiva et nugatoria philosophia agitur, respicienda est. Quod autem antea jam vidimus (pag. 16), Socratis nomine in hac comoedia omnes sophistas et etiam Euripidem sugillari, nusquam est manifestius quam in iis fabulae partibus ubi sermo est de rebus sublimibus, quas constat Socrati vix magis cordi fuisse quam ipsi Aristophani [3].

Jam vs. 94 sqq. de φροντιστηρίῳ illo, ubi Socratem meditationi vacare commentus est Aristophanes, sic legimus:

---

[1] Einleitung z. d. Froschen. — Sic Schoemannus quoque, Gr. Alterth.[3] II pag. 162 Dionysum hunc Aristophaneum vocat "ein Zerrbild des athenischen Theaterpublikums."

[2] Verissime Bernhardius l.l. pag. 403 infra: "Man darf bei solchen "Aussprüchen fragen auf welches Publikum sie rechneten; denn sie gleichen Monologen, und die Menge verstand davon nichts."

[3] Immo Socrates "primus philosophiam devocavit e coelo." Cic. Tusc. Disp. V, 4, 10.

ψυχῶν σοφῶν τοῦτ' ἐστὶ φροντιστήριον.
ἐνταῦθ' ἐνοικοῦσ' ἄνδρες οἳ τὸν οὐρανὸν
λέγοντες ἀναπείθουσιν ὡς ἔστιν πνιγεύς,
κἄστιν περὶ ἡμᾶς οὗτος, ἡμεῖς δ' ἄνθρακες [1].

Hujus igitur casae januam validius pulsans Strepsiades a discipulo Socratis corripitur quod φροντίδ' ἐξήμβλωκεν ἐξηυρημένην (vs. 137 sqq.), videlicet quae sit ratio mathematica inter saltum pulicis et ejus pedum longitudinem. Narrat praeterea rustico stupenti, quam ingeniose Socrates explicet cantum culicum (vs. 157 sqq.), et quomodo, quum cursum lunae inhians contemplaretur, in ejus os apertum inciderit merda mustelae. Mox in domum admissus Strepsiades adspicit discipulos ἐγκεκυφότας, τὰ κατὰ γῆς ζητοῦντας, ipsum autem Socratem ἀεροβατοῦντα καὶ περιφρονοῦντα τὸν ἥλιον, in sublimi scilicet suspensum, quo anima procul a gravibus humoribus qui terram cingunt in tenuiore aëre sit alacrior. Sua numina profitetur Nubes (vs. 253), invocat immensum Aëra splendidumque Aethera et almas Nubes (vs. 265), et jurantem audimus per Animam, Chaos Aëraque (vs. 627). Nubes illae a Socrate vs. 317 sqq. his titulis et laudibus ornantur:

μεγάλαι θεαὶ ἀνδράσιν ἀργοῖς,
αἵπερ γνώμην καὶ διάλεξιν καὶ νοῦν ἡμῖν παρέχουσι
καὶ τερατείαν καὶ περίλεξιν καὶ κροῦσιν καὶ κατάληψιν.

et vs. 332 sqq. de iis praedicat:

οὐ γὰρ μὰ Δί' οἶσθ' ὑτιὴ πλείστους αὗται βόσκουσι σοφιστάς,
θουριωμάντεις, ἰατροτέχνας, σφραγιδονυχαργοκομήτας,
κυκλίων τε χορῶν ᾀσματοκάμπτας, ἄνδρας μετεωροφένακας.

Denique ut ostendat Socrates, non invitis his numinibus se operam dedisse quaestionibus naturalibus, ingentis

[1] Cum hoc loco conferendus est alter simillimus ex Avibus vs. 1000 sqq., ubi Meton ita loquens inducitur:

αὐτίκα γὰρ ἀὴρ ἐστι τὴν ἰδέαν ὅλος
κατὰ πνιγέα μάλιστα

veluti eruditionis specimen profert disputationem philosophicam de causis pluviae et tonitrus, illustratam exemplis e vita quotidiana petitis (vs. 368—411).

Satisne manifeste his locis comicus declarat quam ridicula et vana ei videatur illa sophistarum sapientia? Non puto opus esse ut ex ejus verbis demonstrem quam penitus contemserit, hac quoque in parte, quos novae doctrinae thesauros se reclusisse Atheniensium juventuti gloriose jactabant magistri illi queis nihil incognitum, de quibus quid senserit his Plautinis versibus exprimere juvat [1]:

> Omnia se simulant scire neque quicquam sciunt.
> Quod quisque in animo habet aut habiturust sciunt.
> — — — — — — —
> Quae neque fuerunt neque sunt tamen illi sciunt.

In universum autem Aristophanes parum aequus mihi videtur de his rebus judex fuisse, sed ubi de Euripide agitur plane ei adstipulandum censeo, graviter illud philosophiae studium vituperanti: hujus enim tragoedias inde plus damni quam lucri retulisse arbitror. Musae cognatae sunt Sapientiae, et proinde poetae conducet simul esse sophiae cultori, sed non eo sensu, ut carminibus quam possit saepissime, veluti sapphiros et smaragdos, admisceat dicta philosophica. Verumenimvero si afflatu poetico semper inter scribendum caluisset Euripides, non tot sententiis abundarent ejus opera. Qui certo gradu procedit ad scopum quem propositum sibi videt et quem attingere cupit, non facile de via aberrabit; sin quis ambulandi potius causa egressus est, quo tendat vix sibi conscius, identidem de semita videbis deflectere ut florem carpat, vel dum aëra et nubes contemplatur subsistere, interea viae quae tenenda erat paene oblitum. Sic nulla persona Euripidea in re tam gravi vel tam ancipite

[1] Plautino loco de scurris sermo est. Trinumm. vs. 205 sqq.

versari potest, sive summo dolore vel terrore concutiatur, sive ira excandescat vel poenitentiae stimulis agitetur, nunquam tam male ei esse potest, quin aliquid, si non facete ut Siculi teste Cicerone [1], at sententiose dicat. Vel in mortem ruentes heroas et heroinas vides aliquantisper morari priusquam relinquant scenam, ut ῥῆσιν edant de vitae brevitate et inconstantia vel de patriae amore vel de simili materie, ad locos communes referenda: frigescit interea animus spectatorum. Quomodo tandem fieri potuit ut multi laudaverint illud sententiarum aucupium! Nam nunc non id quaerimus annon dictis illis permultum contineatur bonae frugis; immo fateor — et quis non fateatur? — vix elegantius et acutius praecepta philosophica exprimi posse quam factum est multis locis Euripideis; qui si memoria teneantur, non minorem utilitatem afferre possunt hodierno lectori quam antiquis hominibus, qui ejus verba passim in suis scriptis laudando, mille et amplius fragmenta ex ejus fabulis deperditis oblivioni eripuerunt. Sed nunc aliud dijudicandum est, nempe utrum noceat tragoediis illa abundantia doctorum apophthegmatum necne: ego vero ajo et confirmo. Ut enim utar Aristotelis verbis, ἐάν τις ἐφεξῆς θῇ ῥήσεις ἠθικὰς καὶ λέξει καὶ διανοίᾳ εὖ πεποιημένας, οὐ ποιήσει ὃ ἦν τῆς τραγῳδίας ἔργον [2]. — Scena non est schola ubi salutaria praecepta animis inculcentur, actoribus vice magistri fungentibus, sed ipsius vitae quasi speculum esse oportet [3]: id jure poscimus; alioqui operae pretium non erat adire theatrum, quum domi liceret perlegere aliquod enchiridium de rebus moralibus vel philosophicis aut etiam poetarum loca selecta. Vita imitanda et exprimenda est; non nude quidem aut sine ullo colore et ornatu, sed ita tamen ut nihil audiamus

[1] In Verrem IV, 43.

[2] Aristot. poet. 6.

[3] Ἡ γὰρ τραγῳδία μίμησίς ἐστιν.... βίου, ibid.

quod a communi vita omnino abhorreat. Inprimis male feremus si tragicae personae aere Dodonaeo sint loquaciores, quemadmodum occursantes fugimus quos scimus garrulitate sua nos enecturos. Non ignoro quidem, Atticos alias leges secutos esse in aestimandis dramatis quam hodiernis operibus adhibentur, neque postulasse ut heroes e temporibus Argonautarum et belli Trojani in scena sui aevi mores referrent, atque prorsus aliter cogitarent et loquerentur quam scriptoris aequales [1]. Sed hos quoque nego ita locutos esse ut personas Euripideas. Ubi terrarum unquam fuit puella quae ita dissereret de cosmogonia, ut facit, testantibus fragmentis quae supersunt, illa sapiens (si modo sapiens nec potius male sana) Melanippe Euripidea, cui proles furtim edita debuerat curae propiori esse quam cursus stellarum et telluris origo [2]. Ne nostro quidem tempore, quo nonnulli jura

---

[1] Hoc tenendum, ne saepius iniquus fias in Euripidem (aut in reliquos veteres tragicos). Exempli gratia, non jure reprehendas dicta illa Thesei, satis tamen *ἀνοίκεια*, ubi de optima regiminis forma disputat cum praecone Thebano in Supplicibus. Eadem de causa levius feram anachronismum Pelei culpantis instituta Lycurgi in violenta illa oratione, Atticis auribus blandiente, adversus Spartanarum puellarum educationem, Andromach. vs. 595 – 601. (Vid. infra pag. 68 adn. 2.) Confer. Andromaches in eadem fabula oratio vs. 445 sqq.

Antiquis spectatoribus gratum erat, si ita tangerentur res aequales, neque igitur querendum est de poeta ubi civibus morigeratur. Dummodo ita loquantur heroes tragici, ut locuturi fuissent si eodem ac spectatores vixissent tempore, parvus aut nullus vituperationi locus relinquitur.

[2] Melanippe *ἡ σοφὴ* clam sibi natos exposuerat gemellos, quos vaccae ubera ducentes invenerant pastores et quasi portentosum bovis partum attulerant Aeolo, puellae patri, qui eos cremari volebat. Quod fatum ut ab infantulis avertat, heroina longa demonstratione philosophica evincere laborat, a bove edi non posse prolem humanam. Parum apte sententiae illae Anaxagoreae cadunt ex ore puellae furti sibi consciae et filiolorum vitae trementis. Jam Aristoteles poet. 15 illam *ῥῆσιν* vituperavit.

Initium fabulae erat versus impius:

> Ζεύς, ὅστις ὁ Ζεύς, οὐ γὰρ οἶδα πλὴν λόγῳ
> κλύων.

quae postea mutata sunt in haec verba minus "philosophica:"

virorum in femineum sexum conferre moliuntur, et in quibusdam Academiis puellae juventuti studiosae se adscribunt, mulierem tam parum muliebrem extare puto, certe nosse non cupio. Si vero tibi fingas puellas Atticas de iis rebus disputantes, nihil potest esse absurdius. Neque unquam, ne inter Euripidis quidem aequales, quantumvis loquaces et dicaces, moris fuisse opinor, ut irati, spei inopes, morituri talem in modum concionarentur ut Hippolytus, quem, detecto novercae incesto amore, vovere audimus ut liceat potius in deorum delubris emere prolem quam matrimonio gignere [1]; vel Hecuba, quae cognita pulchra filiae morte, declamat de causa cur "fortes creentur fortibus" [2]; vel Orestes, qui argutiis physicis probare studet Tyndareo, jure a se necatam esse matrem [3]; vel Menoeceus, qui in deliberatam mortem

---

Ζεύς, ὡς λέλεκται τῆς ἀληθείας ὕπο (Arist. Ran. vs. 1244), qui versus etiam in Pirithoo legebatur. (Wagn. fr. 595, Dind. 594.) Notabilis est inprimis ille μῦθος quem puella se audivisse dicit *a matre* (quibus verbis poetam ajunt innuere se hic proferre doctrinam non suam sed a praeceptore Anaxagora acceptam; alludit ad ea Plat. Conv. 177 A):

ὡς οὐρανός τε γαῖά τ' ἦν μορφὴ μία etc. (fr. 488 Dind.)

Vix quemquam tam morosum esse arbitror quin risum ei extorqueat Melanippes Euripideae defensio apud Barnesium vit. Eurip. cap. 15.

[1] Hipp. vs. 618 sqq. Hippolytus, omnes mulieres exosus (cur tandem, cum antea nullam novisset praeter deam Dianam, nunc unius tantum perfidiam expertus esset?) queritur humanam gentem e mulieribus procreari, verbis mihi quidem nauseam paene moventibus.

Quasi vero non satis esset semel aliquid tam absurdi dixisse, poeta simillimam ῥῆσιν tribuit Jasoni, in fine orationis perquam sophisticae (Med. vs. 573 sqq.):

χρῆν γὰρ ἄλλοθέν ποθεν βροτοὺς
παῖδας τεκνοῦσθαι, θῆλυ δ' οὐκ εἶναι γένος,
χοὕτως ἂν οὐκ ἦν οὐδὲν ἀνθρώποις κακόν.

[2] Hecub. vs. 592 sqq.

[3] Orest. vs. 552 sq.:

πατὴρ μὲν ἐφύτευσέν με, σὴ δ' ἔτικτε παῖς,
τὸ σπέρμ' ἄρουρα παραλαβοῦσ' ἄλλου πάρα etc.

Profecto furentem quam sic sapientem aequius feras Orestem!

Dixerit aliquis: nescisne, Zoile, Aeschylum idem scripsisse? Ego vero

abiens, quatuor versus recitat frigidissimos [1]. Medea quoque, dum liberos a se dimittit quos brevi mactatura est, in fine nobilis monologiae, jure semper et certatim laudatae, non potest quin doctam addat sententiolam [2].

---

scio in Aeschyli Eumenidibus eundem sensum exprimi; sed duo cum idem dicunt, non est idem. Euripides hic quoque, ut alibi plus semel, Aeschylum praepostere imitatus est. Apud hunc non ipse Orestes, sed causidicus Apollo, cui multo facilius condones argutias forenses quam ipsi *μητροκτόνῳ*, ideo hoc argumento utitur *ut probet* (qua de re in Euripidea fabula non agitur) *non adversus suum sanguinem peccasse Orestem*. Aeschyli verba haec sunt (vs. 652 sqq.):

Chorus Eumenidum.

πῶς γὰρ τὸ φεύγειν τοῦδ' ὑπερδικεῖς ὅρα.
τὸ μητρὸς αἷμ' ὅμαιμον ἐκχέας πέδοι,
ἔπειτ' ἐν Ἄργει δώματ' οἰκήσει πατρός;
ποίοισι βωμοῖς χρώμενος τοῖς δημίοις;
ποία δὲ χέρνιψ φρατέρων προςδέξεται;

Apollo.

καὶ τοῦτο λέξω, καὶ μάθ' ὡς ὀρθῶς ἐρῶ.
οὐκ ἔστι μήτηρ ἡ κεκλημένη τέκνου
τοκεύς, τροφὸς δὲ κύματος νεοσπόρου.

Caeteroquin apud Aeschylum quoque illo dicto libenter carerem, ut in *Ὀρεστείας* fabulis pectus non raro desidero. Certum est Euripidem non magis feliciter hic Aeschyli vestigia premere quam alibi ab eo discedit.

Denique apud Aeschylum, feminei sexus contemtorem, multo minus offensionis habet talis sententia, quam in tragoedia Euripidis, qui fortasse mulieres oderat, sed eas sine dubio non vilipendebat, et in fabulis, ut posthac videbimus (Cap. VI), primas fere partes iis tribuit.

[1] Phoeniss. vs. 1022 sqq., hoc sensu: bene se haberent civitates, si omnes cives reipublicae consulerent. "Cive digna sententia" adnotat Valckenarius. Non nego, modo per se legatur, contextus nulla habita ratione.

[2] Postquam magno cum affectu horrificos versus fudit, summo poeta dignos (Med. 1078 sq.):

καὶ μανθάνω μὲν οἷα δρᾶν μέλλω κακά,
θυμὸς δὲ κρείσσων τῶν ἐμῶν βουλευμάτων,

utinam e scena discessisset! Sed tunc non vere esset heroina Euripidea; subsistit adhuc ut unum versiculum addat prorsus jejunum

ὅσπερ μεγίστων αἴτιος κακῶν βροτοῖς.

Nonne naevum quoque dicemus in corpore pulchro intempestivam curam Agamemnonis, qui,

dum pugnant rexque paterque,
diverseque trahunt unum duo nomina pectus,

de astronomia scilicet sollicitus, nomen stellae, quam supra caput videt, cognoscere laborat[1]. Unum addam exemplum philosophici studii importunissime adhibiti, ex tragoedia Euripidea quae tamen inter optimas jure recensetur, Hippolyto nimirum. Phaedra illa, quam, Veneris potentia vecordem, a philosophia alienissimam dixeris, contra "insanire parat certa ratione modoque." Mihi quidem ineptum videtur, quod semimortua amore et plurium dierum inedia, postquam aegre et tergiversanter pectoris sui arcanum confessa est, ecce nescio qua arte in philosophum conversa, refectis subito viribus et sine nimio animi motu, edit longam eamque γνωμικωτάτην orationem de optimo modo amoris compescendi (vs. 373—430), bona sane praecepta continentem, dummodo ne ex Phaedrae ore audirentur. Exspectares eam ἤδη ποτ' ἄλλως νυκτὸς ἐν μακρῷ χρόνῳ non de philosophicis quaestionibus sed magis de juvene quem deperibat cogitavisse; jure illud quod dicit nutrici (vs. 518): δέδοιχ' ὅπως μοι μὴ λίαν φανῇς σοφή, in ipsam detorquere possis! Quantum mutata est frigida haec in scena magistra ab illa quam tam egregia arte primum produxerat poeta amore languentem et paene furentem mulierem!

Sed ne in ingrato, quo nunc fungor, censoris munere modum excedam, plura non afferam exempla, caeterum facillima collectu, cum vix ulla sit pagina Euripidea in

---

[1] Videantur primi versus Iphigeniae Aulidensis, cujus initium caeteroquin multarum fabularum Euripidearum expositioni praestare mihi videtur, etsi non nescio quam diverse statuerint viri docti de hoc exordio; cf. Cap. VIII med.

qua non vestigium reperias male sedulo expromtae illius sapientiae, quae ita cordi erat Euripidi ut ipsum vocabulum σοφὸς in deliciis haberet [1]. Ea quae citavi sufficere puto ut pateat quanto nitoris damno ista philosophiae ostentatio constiterit Euripidis tragoediis [2], nec raro ad eum referri posse verba Porcii Festi: τὰ πολλά σε γράμματα εἰς μανίαν περιτρέπει. "Non doctis dictis studiosus quisquam erat ante hunc" de se ipse, ut Ennius, dicere potuisset; sed utinam isti studio moderatius indulsisset! Si quis autem Euripidem ita defendere velit ut dicat non nimis severe ad leges dramaticas esse exigendas eas operum ejus partes quibus populo commendare vellet dicta τῶν σοφῶν [3], me certe sibi non habeat assentientem; nam ut hoc licuerit — quod vix concedi potest — sed fac licuisse Euripidi uti scena ad evulgandam sophistarum sapientiam: at ne hic quidem finis sic attingi poterat. Quum enim vel puellas servulosque [4] tam sapienter

---

[1] Vid. e. g. Medeae vs. 299 cum vicinis versibus, et conf. Aristophanis Thesmoph. vs. 1130.

[2] Van Limburg Brouwer, Proeve over Euripides in fine: "de zooge-"naamde wijsbegeerte van Euripides is het graf van alle waar tragisch "gevoel." Tertius biographus Euripidis, caeteros longe antecellens acumine, verissime scribit: τοσοῦτον αὐτὸν ἔβλαπτε (doctrina a magistris accepta) ὅσον ὠφέλει τὸν Σοφοκλέα.

[3] Quae fere est Bernhardii opinio: "eine so vielseitige Persönlichkeit "von subjectivem Gepräge.... begehrt eine durchaus individuelle Norm" (pag. 389), etsi ne hic quidem negavit talem philosophiae usum, qualis cernitur in Euripide, tragicae arti promittere interitum: "diese feine phi-"losophirende Tendenz schwächte den dramatischen Gehalt, und führte die "Tragödie der Griechen zum Ablauf" (pag. 195).

[4] Huc refer. Aristoph. Acharn. vs. 400 sq.:

ὦ τριςμακάρι' Εὐριπίδη,
ὅθ' ὁ δοῦλος οὑτωσὶ σοφῶς ὑποκρίνεται,

ubi scholiasta vere adnotat, sub specie laudis vituperari Euripidem quod servos disertos in scenam ducere soleret.

Vid. etiam e Ranis locus vs. 949 sq., ubi Euripides suam poesin describens dicit:

ἀλλ' ἔλεγεν ἡ γυνή τέ μοι χὠ δοῦλος οὐδὲν ἧττον,
χὠ δεσπότης χἠ παρθένος χἡ γραῦς ἄν.

loquentes audimus, a philosophia deterremur potius quam ad eam alliciamur, quippe quae ab hujusmodi cultoribus aliquid ridiculi trahere videatur, et alio usu, alia specie, aliis lenociniis indigeat, ut animo nostro sese insinuet.

Pro exemplo servi nimis *tumide* loquentis sunto haec verba bubulci in Iphig. Taur. vs. 255:

βοῦς ἤλθομεν νίψοντες ἑναλίᾳ δρόσῳ.

Sententiose loquentem servum reperis Helen. vs. 734—739:

ἐγὼ μὲν εἴην, κεἰ πέφυχ' ὅμως λάτρις,
ἐν τοῖσι γενναίοισιν ἠριθμημένος
κτἑ.

Conferantur etiam vs. 750 sqq. Nec non commemorandum hic est Phrygis canticum (ὑπόρχημα) in Oreste fabula, vs. 1369 sqq.:

Ἀργεῖον ξίφος ἐκ θανάτου πέφευγα
κτἑ.

CAPUT V.

EURIPIDES IN SCENA RHETOR.

Arcte cum illa sapientiae jactatione cohaeret alterum Euripidis vitium, ab Aristophane inclementer perstrictum: quod plus aequo egit oratorem. Et hic quidem pervenimus ad longe gravissimam accusationem, ne ἀσεβείας quidem crimine leviorem, ad verum fontem odii quod comicus adversus tragicum gerebat. Nam quum ea quae modo tractavimus pertineant ad judicium de Euripidis facultate poetica, hoc nomine Aristophani visus est corruptor juventutis et paene civitatis pernicies.

Valckenarius in quodam capite praeclarae illius Diatribes egit de abusu eloquentiae apud Atticos, et per multos locos ex Euripidis fabulis allatos evincere studuit, eum nemine segnius improbasse illum abusum [1]. Num vero inde sequitur, injuria eum ab Aristophane esse taxatum? Non puto. Nam ut omittam, non satis esse aliquot loc os sententiosos proferre, ut probes Euripidem abstinuisse a malo facundiae usu, at non abusus modo sed ipse frequentior usus eloquentiae comico videbatur

[1] Frigidam gratiam me initurum putarem, si locos illos describerem e Valckenarii notissimo opere. Unum addam, non ab eo allatum, quem legimus apud Plutarchum Moral. pag. 539 B, ubi Euripides civium dicendi lubidinem in hunc modum corripit:

εἰ δ' ἦσαν ἀνθρώποισιν ὠνηταὶ λόγοι,
οὐδεὶς ἂν αὐτὸν εὖ λέγειν ἐβούλετο.
νῦν δ', ἐκ βαθείας γὰρ πάρεστιν αἰθέρος
λαβεῖν ἀμισθί, πᾶς τις ἥδεται λέγων
τά τ' ὄντα καὶ μή· ζημίαν γὰρ οὐκ ἔχει. (fragm. 968 Dind.)

damnandus [1]. Rhetoricam illam artem quae ejus temporibus florebat, etiamsi non adhiberetur ad tuendam injuriam, ad nigra pro albis, curva pro rectis, pro puris spurca venditanda, inter primas tamen causas referebat quibus patria civesque in pejus propellerentur. Olim minus linguae fidebant Athenienses quam robori brachiorum, palaestram potius quam rhetorum auditoria frequentantes [2]. Si qui adhuc superstites erant e viris qui debellarant Persas, in foro nihil valebant adversus delicatulos juvenes novam artem oratoriam callentes [3], quorum infi-

---

[1] Quod non melius dici potest quam his ipsius Euripidis versiculis (fragm. 258 Wagn., 255 Dind.; cf. Valcken. Diatr. pag. 257):

ἁπλοῦς ὁ μῦθος, μὴ λέγ' εὖ· τὸ γὰρ λέγειν
εὖ δεινόν ἐστιν, εἰ φέροι τινὰ βλάβην.

[2] Certum est, Euripidem artibus palaestricis non multum tribuisse. Ducebat ille τὸ εὖ φρονεῖν κρεῖσσον καρτεροῦ βραχίονος (conf. fragm. ex Antiope, 204 Wagn., 199 Dind.); in athletas acriter invehitur versibus 28 quos ex Autolyco servatos invenimus apud Athenaeum X, pag. 413 (fragm. 281 Wagn., 284 Dind.):

οὐδὲν κάκιόν ἐστιν ἀθλητῶν γένους.
— — — — — — —
ἐμεμψάμην δὲ καὶ τὸν Ἑλλήνων νόμον,
οἳ τῶνδ' ἕκατι σύλλογον ποιούμενοι
τιμῶσ' ἀχρείους ἡδονὰς δαιτὸς χάριν etc.
— — — — — — —
ἄνδρας οὖν ἐχρῆν σοφούς τε κἀγαθοὺς
φύλλοις στέφεσθαι etc.

Hic Euripides imitatus est Xenophanis locum, quem lege apud Athenaeum ibid. Cf. Schoem. Gr. Alterth. II, pag. 72.

Huc etiam referenda sunt acerba dicta de Spartanarum puellarum παιδείᾳ quae in Andromache fabula leguntur. (Hoc saltem non a Socrate acceperat Euripides, vid. Plat. Rep. V, pag. 457 B : ὁ δὲ γελῶν ἀνὴρ ἐπὶ γυμναῖς γυναιξὶ.... οὐδὲν οἶδεν.... ἐφ' ᾧ γελᾷ.)

Non immerito igitur statues, Euripidis quoque dramata in causa fuisse cur Justus orator Nub. vs. 1052 sqq. exclamet:

ταῦτ' ἐστί, ταῦτ' ἐκεῖνα,
ἃ τῶν νεανίσκων ἀεὶ δι' ἡμέρας λαλούντων
πλῆρες τὸ βαλανεῖον ποιεῖ, κενὰς δὲ τὰς παλαίστρας.

[3] Acharn. vs. 676 sqq.:

οἱ γέροντες οἱ παλαιοὶ μεμφόμεσθα τῇ πόλει.
οὐ γὰρ ἀξίως ἐκείνων ὧν ἐναυμαχήσαμεν

nitus numerus e sophistarum scholis pullularat [1]; quumque antiquitus puerorum esset tacere [2], nedum in foro verba facere imberbis sustineret [3], nunc adulescentuli audacter suggestum ascendebant, et saepe quo magis erant impudici eo magis facundi videbantur [4]. Qui autem plurimum posset dicendo vel clamando, is admoveri solebat civitatis gubernaculo, quod proinde imperitissimis saepe manibus credebatur, in dies crescente ochlocratia.

γηροβοσκούμεσθ' ὑφ' ὑμῶν, ἀλλὰ δεινὰ πάσχομεν,
οἵτινες γέροντας ἄνδρας ἐμβαλόντες ἐς γραφὰς
ὑπὸ νεανίσκων ἐᾶτε καταγελᾶσθαι ῥητόρων,
οὐδὲν ὄντας ἀλλὰ κωφοὺς καὶ παρεξηυλημένους etc.

— — — — — — —

ταῦτα πῶς εἰκότα, γέροντ' ἀπολέσαι πολιὸν ἄνδρα περὶ κλεψύδραν,
πολλὰ δὴ ξυμπονήσαντα, καὶ θερμὸν ἀπομορξάμενον ἀνδρικὸν ἱδρῶτα
δὴ καὶ πολύν,
ἄνδρ' ἀγαθὸν ὄντα Μαραθῶνι περὶ τὴν πόλιν;
εἶτα Μαραθῶνι μὲν ὅτ' ἦμεν, ἐδιώκομεν,
νῦν δ' ὑπ' ἀνδρῶν πονηρῶν σφόδρα διωκόμεθα, κᾆτα πρὸς ἁλισκόμεθα.

[1] Vid. Thesmoph. vs. 527:

τὴν παροιμίαν δ' ἐπαινῶ
τὴν παλαιάν· ὑπὸ λίθῳ γὰρ
παντί που χρὴ
μὴ δάκῃ ῥήτωρ ἀθρεῖν.

[2] Nub. vs. 964:

πρῶτον μὲν ἔδει παιδὸς φωνὴν γρύξαντος μηδέν' ἀκοῦσαι.

[3] In Equitum fine Demus pristinae juventuti restitutus hoc quoque promittit inter caetera quibus Miltiadis tempora reducantur (vs. 1373):

οὐδ' ἀγοράσει γ' ἀγένειος οὐδεὶς ἐν ἀγορᾷ,

ubi etiam sequentes versus sunt videndi.

[4] Equitum vs. 879 sqq. admodum contumelioše de istis rhetoribus imberbibus dicitur:

οὐκ ἔσθ' ὅπως ἐκείνους (τοὺς βινουμένους scil.)
οὐχὶ φθονῶν ἔπαυσας, ἵνα μὴ ῥήτορες γένοιντο.

qui locus explicandus est ex altero loco Aristophaneo Eccles. vs. 112:

λέγουσι γὰρ καὶ τῶν νεανίσκων ὅσοι
πλεῖστα σποδοῦνται δεινοτάτους εἶναι λέγειν.

Similiter apud Platonem Conv. pag. 192 A Aristophanes dicit: τελεωθέντες μόνοι ἀποβαίνουσιν εἰς τὰ πολιτικὰ ἄνδρες οἱ τοιοῦτοι (qui pueritiae tempore multos amatores habuerunt).

Nec non cum furore illo dicendi conjunctus erat vesanus litigandi et judicum munere fungendi amor, quem toties comicus in suis civibus notavit [1]; quantum vero hoc studium φιλόδικον valere debuerit ad plebeculae potestatem augendam, vix est quod moneam [2]. Bene perspiciebat comicus, ut Spartae τὴν φιλοχρηματίαν, sic Athenis τὴν φιλορρηματίαν (si fas est novam fingere dictionem) exitio fore, neque tanta ab ullo externo hoste quanta ab interna illa peste pericula imminere.

Non mirum igitur si Aristophanes odio habuit poetam, cui Suada potentissimum numen videbatur [3], et quem

---

[1] Notum est, Vesparum comoedium, vel saltem priorem ejus partem, multo festiviorem alterâ quae non bene cohaeret, compositam esse ad flagellandum illud φιληλιαστικὸν studium. Unum locum ex ea fabula afferam lepidissimum vs. 800 sqq.:

ἠκηκόη γὰρ ὡς Ἀθηναῖοί ποτε
δικάσοιεν ἐπὶ ταῖς οἰκίαισι τὰς δίκας,
κἀν τοῖς προθύροις ἐνοικοδομήσοι πᾶς ἀνὴρ
αὐτῷ δικαστηρίδιον μικρὸν πάνυ,
ὥσπερ Ἑκάτειον, πανταχοῦ πρὸ τῶν θυρῶν.

Praeterea notabilis hic locus Nub. vs. 1220:

ἆραρ οὐδέποτέ γε τὴν πατρίδα καταισχυνῶ
ζῶν, ἀλλὰ καλοῦμαι Στρεψιάδην.

Quibuscum conferantur haec sycophantae verba Avium vs. 1451:

τὸ γένος οὐ καταισχυνῶ·
παππῷος ὁ βίος συκοφαντεῖν ἐστί μοι.

Avium vs. 39:

οἱ μὲν γὰρ οὖν τέττιγες ἕνα μῆν' ἢ δύο
ἐπὶ τῶν κραδῶν ᾄδουσ', Ἀθηναῖοι δ' ἀεὶ
ἐπὶ τῶν δικῶν ᾄδουσι πάντα τὸν βίον.

Sic etiam Nubium vs. 1176 commemoratur illud ἀττικὸν βλέπος, ἐπιχώριον illud, τὸ "τί λέγεις σύ;"

[2] Id uberius exponere non hujus est loci. Videatur tantummodo Vesp. vs. 587:

ταῦτ' ἀνυπεύθυνοι δρῶμεν, τῶν δ' ἄλλων οὐδεμί' ἀρχή.

Heliastae scilicet, qui jus dicebant caeteris omnibus, ne magistratibus quidem exceptis, ipsi neminis arbitrio subditi erant. Caeterum provocasse sufficit ad Schoem. Gr. Alt. I, pag. 492 et 519 sqq.

[3] Hecuba in cognomini fabula (vs. 816) vocat πειθὼ τὴν τύραννον

non minore jure quam "in scena philosophum" [1] possis vocare "in scena oratorem" [2]; non mirum si inprimis hoc nomine saepissime et vehementissime eum increpuit. Afferamus locos comici huc pertinentes.

Si vere statui sub Socratis persona etiam Euripidem plecti in Nubium fabula [3], ea quae de Socratis vel potius sophistarum [4] binis λόγοις legimus huc etiam referenda sunt [5]; et similiter cuncta epitheta quibus vs.

ἀνθρώποις μόνην. Notatu etiam digni sunt hi versus ex Antigone Euripidea (fragm. 170 Dind.):

οὐκ ἔστι Πειθοῦς ἱρὸν ἄλλο πλὴν λόγος,
καὶ βωμὸς αὐτῆς ἔστ' ἐν ἀνθρώπου φύσει.

[1] Σκηνικὸς φιλόσοφος e. g. Athen. IV, pag. 158.

[2] Ποιητὴν ῥηματίων δικανικῶν. Arist. Pac. vs. 534.

[3] Quod quam verum sit, patet etiam ex versibus 920 sqq., ubi Justus sic Injustum oratorem alloquitur:

σὺ δέ γ' εὖ πράττεις·
καίτοι πρότερόν γ' ἐπτώχευες,
Τήλεφος εἶναι Μυσὸς φάσκων,
ἐκ πηριδίου
γνώμας τρώγων Πανδελετείους.

Cujus loci sensum hunc esse ostendit Hermannus: "qui mala ista dicendi artificia et subtiles fallacias doceant jam multum pecuniae corradere vitamque agere lautam et splendidam; olim autem contemtos fuisse et vix habuisse unde victum pararent. Id comico carpendi Euripidis opportunitatem praebet, cujus Telephum, multa subtiliter disputantem, sententias Pandeleteas ex pera vorare dicit." — Pandeletus erat sycophanta philodicus et psephismatopola, teste schol.

[4] Nam ipse Socrates hoc crimine magis etiam quam caeteris quae ei intenduntur absolvendus est. E Platonis Reip. libro I eum melius cognoscere licet, ubi Thrasymachum sophistam, injustitiam laudantem et τὸ δίκαιον οὐκ ἄλλο τι ἢ τὸ τοῦ κρείττονος ξυμφέρον εἶναι (pag. 338 C) contendentem, salse et prudenter refutat.

[5] Strepsiades, postquam vs. 244 a Socrate impetravit, ut se doceat τὸν ἕτερον ejus λόγοιν, τὸν μηδὲν ἀποδιδόντα, nihil tamen in discendo proficit, cum nimium sit bardus; itaque filium Phidippidem Socrati tradit instituendum: coram hoc habetur nobilis ille Justi et Injusti λόγου sive oratoris dialogus. — Mox Strepsiades, filii nova eruditione adjutus, cum Pasia, cui debet, de ἕνῃ καὶ νέᾳ sophistice disceptat, alterumque creditorem Amyniam, sua reposcentem, vacuis manibus dimittit, ita ei insultans:

445—451 ornantur asseclae Socratis, cadunt in Euripidem. Sed abunde praeterea est locorum quibus nominatim Euripidis ἐπύλλια [1] vel ῥημάτια [2] tanguntur et ipse rabula vocatur.

In Ranis (vs. 771 sqq.) amarissime Aeacus narrat, Euripidem, quum in Hadem devenisset, artis suae edidisse specimen, coram furibus, sicariis et parricidis, quorum magnus ibi sit numerus; eos vero, eloquii technas magnopere admiratos, palmam sapientiae ei detulisse; quo suffragio elatum eum sibi poposcisse solium, optimo debitum poetae, in quo hucusque sedisset Aeschylus. Mox ambo tragici ineunt certamen poeticum, in quo

---

πῶς οὖν ἀπολαβεῖν τἀργύριον δίκαιος εἶ,
εἰ μηδὲν οἶσθα τῶν μετεώρων πραγμάτων;

(ex quo loco nimis multa petere mihi videtur Bernh. l.l. pag. 407 infra). — In fine autem fabulae egregios fructus novae artis rhetoricae, qua in schola Socratis imbutus est, ostendit, quum patri demonstret jure eum a se vapulare, quin etiam matrem pugnis pectere non illicitum esse.

Pessimum mythologiae usum, quo id agitur ut hominum flagitia praetexantur deorum et heroum auctoritate, saepius tangit Aristophanes in illo binorum Λόγων colloquio. Sic vs. 904 sqq.:

πῶς δῆτα, δίκης οὔσης, ὁ Ζεὺς
οὐκ ἀπόλωλεν τὸν πατέρ' αὐτοῦ
δήσας;

vs. 1043—1052 probatur exemplo Herculis thermas praestare frigidis balneis; Nestorem porro ἀγορητὴν imitari dicuntur qui forum terunt; ridetur parvum quod Peleo ἐκ τῆς σωφροσύνης rediit lucrum, ensis scilicet et uxor brevi eum derelictura, quum Hyperbolus tam multa corraserit talenta per πονηρίαν. Sic denique injustus ille orator concludit vs. 1076 sqq.:

ἥμαρτες, ἠράσθης, ἐμοίχευσάς τι, κᾆτ' ἐλήφθης·
ἀπόλωλας· ἀδύνατος γὰρ εἶ λέγειν. ἐμοὶ δ' ὁμιλῶν
χρῶ τῇ φύσει, σκίρτα, γέλα, νόμιζε μηδὲν αἰσχρόν.
μοιχὸς γὰρ ἦν τύχῃς ἁλούς, τάδ' ἀντερεῖς πρὸς αὐτόν,
ὡς οὐδὲν ἠδίκηκας· εἶτ' ἐς τὸν Δί' ἐπανενεγκεῖν,
κἀκεῖνος ὡς ἥττων ἔρωτός ἐστι καὶ γυναικῶν·
καίτοι σὺ θνητὸς ὢν θεοῦ πῶς μεῖζον ἂν δύναιο;

[1] Pac. vs. 532, Acharn. vs. 398.

[2] Acharn. vs. 444, Pac. vs. 534.

Euripides se κατ' ἔπος βασανιεῖν τὰς Αἰσχύλου τραγῳδίας promittit (vs. 801). Prius tamen chorus egregie describit utriusque stilum, Aeschyli magniloquentiam et sesquipedalia verba, Euripidis dicendi artificia. Elegantissimus praeclarae fabulae locus dignus est qui hic afferatur; (ea quae attingunt Euripidem diductis literis distinguam); vs. 814 sqq.:

ἤ που δεινὸν ἐριβρεμέτας χόλον ἔνδοθεν ἕξει,
ἡνίκ' ἂν ὀξυλάλου παρίδῃ θήγοντος ὀδόντας
ἀντιτέχνου· τότε δὴ μανίας ὑπὸ δεινῆς
ὄμματα στροβήσεται.
ἔσται δ' ἱπολόφων τε λόγων κορυθαίολα νείκη,
σχινδαλάμων τε παραξόνια, σμιλεύματά τ' ἔργων,
φωτὸς ἀμυνομένου φρενοτέκτονος ἀνδρὸς
ῥήμαθ' ἱπποβάμονα[1].
φρίξας δ' αὐτοκόμου λοφιᾶς λασιαύχενα χαίταν,
δεινὸν ἐπισκύνιον ξυνάγων βρυχώμενος ἥσει
ῥήματα γομφοπαγῆ, πινακηδὸν ἀποσπῶν
γηγενεῖ φυσήματι.
ἔνθεν δὴ στοματουργὸς ἐπῶν βασανίστρια λίσπη
γλῶσσ' ἀνελισσομένη φθονεροὺς κινοῦσα χαλινούς,
ῥήματα δαιομένη καταλεπτολογήσει
πνευμόνων πολὺν πόνον.

Alter locus simillimus subjungatur, vs. 900 sqq.:

προςδοκᾶν οὖν εἰκός ἐστι
τὸν μὲν ἀστεῖόν τι λέξειν

---

[1] Ut textus legitur, necesse est vocabula φωτὸς ἀμυνομένου sint genitivi pendentes a παραξόνια et σμιλεύματα, itaque ῥήμαθ' ἱπποβάμονα ἀνδρὸς φρενοτέκτονος erunt jungenda et ad Aeschylum referenda. Sed duo sunt quae me hic offendunt; nam postulare mihi videtur structura hujus periodi, ut vocabula φωτὸς ἀμυνομένου sint genitivus absolutus; deinde φρενοτέκτων multo aptius epitheton Euripidis esse dixerim quam Aeschyli. Itaque mallem jungere φωτὸς φρενοτέκτονος (Eur.) ἀμυνομένου ῥήματα ἱπποβάμονα ἀνδρός (Aesch.), si modo esset adjectivum quod addi posset voci ἀνδρὸς sic nude positae: legendum putarem ἱπποβάμονος, sed fateor ordinem quo verba sunt collocata huic mutationi parum favere.

καὶ κατερρινημένον [1],
τὸν δ' ἀνασπῶντ' αὐτοπρέμνοις
τοῖς λόγοισιν
ἐμπεσόντα συσκεδᾶν [2] πολ-
λὰς ἀλινδήθρας ἐπῶν.

Incepto autem certamine, Euripides quam viam in componendis tragoediis inierit enarrat (vs. 939 sqq.), et in fine ὁrationis jactat cives a se λαλεῖν didicisse (utinam, subjicit Aeschylus, prius disruptus esses! [3]), et artis rhetoricae subtilitates, quas mox etiam se bene callere ostendit, quum Choëphorôn initium reprehendens utitur grammaticis argutiis vs. 1167 sq. [4]. Gloriatur discipulis se dignis, Theramene, Clitophonte; quum ex Aeschyli disciplina prodierint Phormisius et Megaenetus ille stolidior servo.

Questus autem Aeschylus (vs. 1069 sqq.) de λαλιᾷ illa, ab Euripide commendata, quae vacuas reddebat palaestras et mores puerorum corrumpebat, denique exclamat (vs. 1083 sqq.):

---

[1] Miram perturbationem in hujus loci interpretatione movit Spanhemius, ea quae de Euripide dicuntur ad Aeschylum spectare putans, et κατερρινημένον vertens *bene compactum* quum significet *perpolitum*. Neque quo provocat loco Aesch. Suppl. vs. 747 aliter vertam; βραχίον' εὖ κατερρινημένοι ibi dicuntur milites quibus brachia *nitida*, quod vocabulum latinum item designat cutem cum bene curatam, splendentem, tum etiam quae bonam valetudinem et robur indicat.

[2] Συσκεδᾶν verto *dissicere*, nempe verba ab adversario artificiose conjuncta.

[3] Jam ante vs. 916 Dionysus dixerat ἐγὼ δ' ἔχαιρον τῇ σιωπῇ, καί με τοῦτ' ἐτερπεν οὐχ ἧττον ἢ νῦν οἱ λαλοῦντες.

Sic etiam vs. 89 Hercules de recentioribus poetis tragicis admodum acerbe percunctatur Dionysum:

οὔκουν ἕτερ' ἔστ' ἐνταῦθα μειρακύλλια,
τραγῳδίας ποιοῦντα πλεῖν ἢ μυρίας,
Εὐριπίδου πλεῖν ἢ σταδίῳ λαλίστερα;

[4] Ad quem locum opportune citat Kockius Platonis Protag. pag. 337 A, ubi facete loquens inducitur Prodicus, Euripidis magister, similium argutiarum venator.

κᾆτ' ἐκ τούτων ἡ πόλις ἡμῶν
ὑπογραμματέων ἀνεμεστώθη,
καὶ βωμολόχων δημοπιθήκων,
ἐξαπατώντων τὸν δῆμον ἀεί·
λαμπάδα δ' οὐδεὶς οἵός τε φέρειν
ὑπ' ἀγυμνασίας ἔτι νυνί.

Neque multo mitius, in fine fabulae ad vivos regrediens, de victo adversario Plutonem monet (vs. 1520):

μέμνησο δ' ὅπως ὁ πανοῦργος ἀνὴρ
καὶ ψευδολόγος καὶ βωμολόχος
μηδέποτ' εἰς τὸν θᾶκον τὸν ἐμὸν
μηδ' ἄκων ἐγκαθεδεῖται.

Quanto odio haberet comicus Euripideam facundiam, satis clare nunc vidimus. Jam si roges, quo jure Euripidi rhetoricae ampullae et forensia artificia exprobrentur, fatendum est eum perquam adamasse ornamenta oratoria, et libenter ostendisse in fabulis suis, quam bene nosset dicendi artem, quantopere sibi in promptu essent ejusmodi ἀντιλογίαι καὶ λυγισμοὶ καὶ στροφαί [1], quales exempli gratia cernuntur ubi brevibus dictis [2] lacessunt se duae personae tragicae, tetrametris ut plurimum trochaicis, quorum singuli dictum et responsum contineant, aut, ubi iambicum metrum adhibetur, in στιχομυθίᾳ, id est colloquio ita ordinato ut utraque persona singulis vel binis trimetris absolvat sententiam [3]. Sed inprimis captat occasiones interserendi suis tragoediis orationes, non raro

---

[1] Ran. vs. 775; quapropter Aristophanes eum in quodam deperdito dramate στρεψίμαλλον τὴν τέχνην vocavit, testibus scholiis (fragm. Aristoph. 542 Dind.).

[2] Non immerito Euripides gloriatur in suis versibus nusquam occurrere στοιβήν, id est, vocem inanem metri causa versui insertam (Belgice een stoplap), Ran. vs. 1178.

[3] Pollux IV: 113 Στιχομυθία = τὸ παρ' ἓν ἰαμβεῖον ἀντιλέγειν. De stichomythia Euripidea scriptus est liber ab H. Behrns, Wetzlar 1864, in quo regulae a poeta in talibus dicendi certaminibus observatae accurate exponuntur.

longas; et ubi vel minimam ansam sibi praebitam videt, producit heroem vel heroinam plane forensi ratione causam suam defendentem adversus aliquem accusatorem, hunc quoque ex legibus oratoriae artis dicentem, quum chorus saepe judicis agat partes, et quoties ad finem perducta est oratio opinionem suam edat, uno plerumque disticho. Viri illi et mulieres, quos jam supra vidimus (pag. 59 sq.) in rebus trepidis saepe vacare disquisitionibus philosophicis, non minus saepe, in astutos subito oratores conversi, per omnes artes forenses causam suam tueri sciunt. Non mirum igitur, a Quinctiliano Euripidem ideo prae caeteris scriptoribus tragicis commendari juventuti ad eloquentiae studium se applicanti [1]. Quintus Cicero tantus erat Euripidis admirator, ut singulos ejus versus singula testimonia vocaret [2]; nec minoris eum faciebat Marcus, quem in Medea legenda occupatum, quum lectica ad maris litus deferretur, offendit Laenas cum sicariis [3].

Vix ulla tragoedia Euripidea tali dialogo oratorio caret. In Hecuba audimus Polymnestora et Hecubam coram Agamemnone disceptantes [4]. Orestes in cognomini fabula matrem jure a se occisam esse probare studet Tyndareo, satis sophistice, et tam placide ut vix a Furiis

---

[1] Quinctil. X, 1, 67: "Sed longe clarius [Aeschylo nimirum] illustra-"verunt hoc opus Sophocles atque Euripides, quorum in dispari dicendi "via uter sit poeta melior, inter plurimos quaeritur. Idque ego sane, "quoniam ad praesentem materiem nihil pertinet, injudicatum relinquo. "Illud quidem nemo non fateatur necesse est, iis qui se ad agendum com-"parant utiliorem longe Euripidem fore. Namque is et in sermone (quod "ipsum reprehendunt quibus gravitas et cothurnus et sonus Sophoclis vi-"detur esse sublimior) magis accedit oratorio generi; et sententiis densus, "et in iis quae a sapientibus tradita sunt paene ipsis par, et in dicendo "ac respondendo cuilibet eorum qui fuerunt in foro diserti comparandus."

[2] Cic. Epist. ad fam. XVI : 8.

[3] Hephaestione teste V, 5.

[4] Ita ut, contra quam suadeat ratio, quum a moestis vehementibusque querelis inceperit fabula, desinat in argutas sed satis frigidas orationes.

agitatum juvenem agnoscas. In Phoenissis ambo Oedipi filii ante matrem Jocasten consilia sua defendunt, alter regni sibi servandi, alter auxilio sociorum occupandi. Medea adversus Jasonem, Hippolytus apud patrem Thesea causam agentes, Pheretis cum Admeto in Alcestide altercatio paene comica, tria sunt alia exempla artis rhetoricae in subsidium tragici operis vocatae. Andromache fabula referta est orationibus, Hermiones, Pelei, Menelai, ipsius Andromaches; haec heroina, saevis vinculis ligata, debet exspectare donec Menelaus et Peleus se invicem infinitis conviciis, ducentos fere versus implentibus, satis dilaceraverint, et Peleus tandem intelligat non verbis sed factis opus esse. Non minor abundantia orationum est in Supplicibus. In Troasi Helena apud Menelaum pristinum maritum orat causam, accusante Hecuba. In Heraclidis statim post prologum instituitur rhetoricus dialogus inter Eurysthei praeconem Coprea et Iolaum, coram Demophoonte rege Athenarum. In Helena fabula, ut Menelai vitae parcatur, ipse et uxor Helena longis orationibus precantur a Theonoë regis sorore. In Herculis furentis initio inter Lycum et Amphitryonem habetur colloquium, eodem colore forensi imbutum, judicis partes obeunte choro (quem ex senibus decrepitis constantem mireris adversus tyrannum Lycum hiscere audere); in fine vero hujus tragoediae utinam brevioribus orationibus uterentur Hercules ad declarandum se mori velle, Theseus ad dissuadendum. Quid dicam de illa λόγων ἀμίλλῃ, per centum et quinquaginta versus protracta, inter Clytaemnestram humiliter loquentem et Electram sanguinis avidam nec jocis crudelibus abstinentem [1]? Eadem Electra non modo in vivam matrem sed etiam in mortuum Aegisthum habet orationem [2]. Sed jam satis multa exempla attulimus studii ejus judicialis, neque ex dramatis deper-

[1] Vid. Electr. vs. 1127.

[2] Electr. vs. 907—956.

ditis, de quibus plerumque parum constat, plura addere opus est; sufficiat uno verbo mentionem facere de Palamede, cujus fabulae argumentum erat heros in judicium adductus et capitis damnatus.

Quum autem in istis oratoriis diverbiis causa deterior non minore facundia dicatur quam justa causa, et argumentis, pondere minime destitutis, saepe uti videas personas scelestas ut culpam a se avertant, non injuria videtur succensuisse comicus Euripidi, sic per fabulas suas docenti quomodo pulchra species praetendi possit rebus malis, si quis modo calleat artem dicendi; nempe

ἐκ παντὸς ἄν τις πράγματος δισσῶν λόγων
ἀγῶνα θεῖτ' ἄν, εἰ λέγειν εἴη σοφός,

ut in quadam Euripidis fabula ait chorus [1].

Exempla eloquentiae tam prave adhibitae suppeditant verbi gratia loci ubi hominum sceleribus ac probris praetextus patrociniumque petitur ex veteribus fabulis, de diis similia tradentibus; quem impium mythologiae usum, ut paulo ante vidimus pag. 72 in notis, improbus ille orator in Aristophanis Nubibus commendat. Sic Phaedrae amorem nefarium defendit nutrix exemplo Jovis Semelen, Aurorae Cephalum amantis [2], et Helena marito persuadere studet se non sua culpa commisisse adulterium sed Veneris vi, cujus numini qui refragetur ipso Jove sanctior esse velit [3]. Talia in comico pulpito ferri possunt fortasse, ut in illo Terentii loco (Eun. Act. III, sc. 5):

"At quem deum, qui templa coeli summo sonitu concutit:
"Ego homuncio hoc non fecerim!"

sed plane assentior Aristophani graviter culpanti tragicum qui in austera scena tam vilibus argumentis utatur;

[1] In fragmento ex Antiope servato, (Wagn. fragm. 213; 189 Dind.) cf. Valcken. Diatr. pag. 82.

[2] Hipp. vs. 453 sqq.

[3] Troad. vs. 948 sqq. et vs. 1042 sq.

νόσημα γὰρ

ut cum Aeschylo loquar (Prometh. vs. 685 sq.)

αἴσχιστον εἶναί φημι συνθέτους λόγους,

si ejusmodi finibus inserviant.

Sed etiam ubi non disputatur, illa λαλιὰ Euripidea, amor si non litigandi at certe sermocinandi, passim cernitur, interdum valde importune. Mire mihi quidem, ut exemplum afferam, semper displicuit longitudo orationis quam in Phoenissis nuncius recitat [1]. Nam postquam epica ubertate descripsit clypeos τῶν ἑπτὰ et interminatis verborum ambagibus usus est, vix tandem exoratus ut etiam de ambobus fratribus referat, horum instare monomachiam dicit; tunc vero ut properet ad proelii locum Jocasten impellit, quae tamen, ut exspectari poterat tanto temporis spatio intermisso, sero venit. Quis non stomachetur tam tardo et loquaci nuncio, qui id unum quod cito resciscere intererat, edere cunctetur? Is enim dum totus est in enarrando emblemata quibus hostium clypei sunt ornati, jugulant se invicem Polynices et Eteocles, neque fatis magis quam garrulo isti nugatori imputanda est nex eorum et sero advenientis matris. — Imitando hic quoque poeta Aeschylum aemulatur, apud quem tamen similis longa descriptio non habet quod offendat, quum non eo temporis puncto proferatur quo unice festinato opus sit [2]. Multo porro aptius Aeschyleus nuncius quaecunque ad hostium aciem et duces pertinent refert Eteocli, cui incumbit Thebanos προμάχους singulis ducibus opponere, quam matri de liberis sollicitae ἄγγελος Euripideus. Hic si unquam, praecessorem superare conatus, Euripides excidit ausis [3].

[1] Non aliter sentire Bernhardium liquet ex l.l. pag. 414: "den Erzählungen besonders redseliger Boten... wird... ein ausser Verhältniss "breiter Raum zugestanden."

[2] Aesch. Sept. c. Theb. vs. 375 - 652.

[3] Mullerus (Gr. Literaturgesch. II, pag. 148) statuit, Euripidem in Aeschyli fabula improbasse, quod proelio nondum inito de septem ducum

Non minus importuna mihi videtur in Ione fabula verbositas nuncii, qui dum Creüsam quaerit, quam moneat de instante vitae periculo [1], subsistit aliquantisper ut ad unguem describat figuras impictas aulaeis quibus Ion in parando convivio ornaverat tentorium. — Si talia vituperatione exemta sunt, equidem vel furis capite damnati, laqueo jam fauces premente, feram quin et admirabor orationem tripartitam cum prologo et epilogo.

Ad illam artem sophistice oratoriam pertinent etiam argutiae grammaticae, quas pariter adamat Euripides, et quas risum praebuisse Aristophani supra jam animadvertimus (pag. 74 adn. 4), quum inducat eum de synonymis verbis ἥκω et κατέρχομαι subtilius cum Aeschylo disputantem. — Fabulas Euripideas si perlegis, identidem incidis in verborum derivationes tam absurdas ut cum cujusvis classici scriptoris commentis etymologicis certare possint. Doctum illud Tiresiae deliramentum, ubi de vocum μηρὸς et ὅμηρος inani similitudine philosophatur, jam vidimus [2]. Nomen antiquae tribus Jonicae

---

armis et signis nunciaretur, ideoque post pugnam demum peractam suum nuncium produxisse, de iisdem relaturum.

Si recte, — quod mihi tamen non constat — hoc opinatus est Mullerus, quantum dicemus a vero aberrasse Euripidem, putantem scilicet opportuniore loco a se insertum esse illum ἀγγέλου λόγον!

[1] Ion. vs. 1106 sqq.

[2] Conf. supra pag. 21 adn. 6. — Locus hic est, Bacch. vs. 286—297:

καὶ καταγελᾷς νιν, ὡς ἐνερράφη Διὸς
μηρῷ· διδάξω σ' ὡς καλῶς ἔχει τόδε.
ἐπεί νιν ἥρπασ' ἐκ πυρὸς κεραυνίου
Ζεύς, εἰς δ' Ὄλυμπον βρέφος ἀνήγαγεν νέον,
Ἥρα νιν ἤθελ' ἐκβαλεῖν ἀπ' οὐρανοῦ.
Ζεὺς δ' ἀντεμηχανήσαθ' οἷα δὴ θεός.
ῥήξας μέρος τι τοῦ χθόν' ἐγκυκλουμένου
ἀιθέρος, ἔθηκε τόνδ' ὅμηρον ἐκδιδοὺς
Διόνυσον Ἥρας νεικέων· χρόνῳ δέ νιν
βροτοὶ τραφῆναί φασιν ἐν μηρῷ Διός,
ὄνομα μεταστήσαντες, ὅτι θεᾷ θεὸς
Ἥρᾳ ποθ' ὡμήρευσε, συνθέντες λόγον.

Αἰγικορέων deducitur a Palladis aegide [1], et Ionis nomen pro participio verbi ἰέναι habetur [2]; Zetonem ἀπὸ τοῦ ζητεῖν τόπον, Amphionem ὅτι ἐν διόδῳ ἢ ὅτι ἀμφὶ ὁδὸν αὐτὸν ἔτεκεν mater appellavisse dicitur [3], quam etymologiam non effugisse comici sagittas liquet ex hoc loco veteris grammatici: ὁ δὲ Ἀριστοφάνης κωμικευόμενος λέγει ὅτι Ἄμφοδος ὤφειλε κληθῆναι [4]. Per frigidum lusum Meleagri nomen cum μελέᾳ ἄγρᾳ Calydonii apri connectitur [5], et equus Trojanus vocatur δούρειος ἵππος, κρυπτὸν ἀμπισχὼν δόρυ [6].

Recentiores, praeeunte G. Dindorfio, hos versus tanquam subditicios rejiciunt (Bernh. l.l. pag. 482). Sed quo tandem jure? Versum 293 et sequentem usque adeo sensu carere ut ne infimi quidem ordinis interpolator ita ut nunc legitur scribere potuerit, puto in confesso esse. Si hujus loci corrupti probabilis correctio inveniretur (nam ἔθηκ' ἐν τῷδ', quod Schoenius in sua editione scripsit non sufficit, quum genitivum illum Ἥρας intactum reliquerit) nihil hic viderem quod ab Euripidis ingenio abhorreat.

[1] Ion. vs. 1580: ἐμῆς δ' ἀπ' αἰγίδος Αἰγικορῆς. Nescio utrum hic magis in poeta demirer intempestivam eruditionis ostentationem, quum dramatis fini assuat laciniam archaeologicam, pannum non purpureum sed pulvereum, an criticae facultatis inopiam, quum vel in tam manifesta etymologia titubet.

[2] Ion. vs. 661 sqq. Xuthus sic loquitur:

Ἴωνα δ' ὀνομάζω σε, τῇ τύχῃ πρέπον,
ὀθούνεκ' ἀδύτων ἐξιόντι μοι θεοῦ
ἴχνος ξυνῆψας πρῶτος.

In hac tamen derivatione est cur conniveas; scilicet ipsa fabula de Phoebo Xuthum jubente ut pro filio adoptet qui sibi e templo redeunti primus obvius fieret, (cf. vs. 535 sqq.), videtur fuisse conficta ad explicandum nomen Ionis.

[3] Hygin. fab. 7. — Valckenarius Diatr. cap. 7 de Antiope fabula agens, "nollem, inquit, his ineptiis tragicus eximium illud suum drama dedeco-"rasset."

[4] Etymol. magn. pag. 92. — Versum Aristophanis e secundis Thesmophoriazusis praebet Pollux 9, 36:

Ἄμφοδον ἐχρῆν αὐτῷ τίθεσθαι τοὔνομα (Arist. fragm. Dind. 304).

[5] Μελέαγρε, μελέαν γάρ ποτ' ἀγρεύεις ἄγραν. Etym. magn. in v. Meleager (fragm. Dind. 521). Hoc commentum ne ipsis quidem grammaticis potuit placere, teste Bekk. Anecd. pag. 1163.

[6] Troad. vs. 14.

Sic Penthei *πένθη* commemorantur [1], in Aphrodites nomine respicitur ad *ἀφροσύνην* [2], et de Helena dicitur: *Ζηνὸς οὖσαν ζῆν νιν ἄφθιτον χρεών* [3]. Unum etiam hic referatur exemplum importunae dicacitatis, e Tironis quadam epistola apud Gellium VII: 3 servatum: "Recte hoc vitio dat Lucilius poetae Euripidae, quod cum Polyphontes rex propterea se interfecisse fratrem [Cresphontem] diceret, quod ipse ante de nece ejus consilium cepisset, Meropa fratris uxor hisce adeo eum verbis eluserit:

εἰ γάρ σ' ἔμελλεν, ὡς σὺ φής, κτείνειν πόσις,
χρῆν καὶ σὲ μέλλειν, ὡς χρόνος παρήλυθεν." —
(Wagn. fragm. 460, Dind. 459.)

Mulierem, recente mariti caede comperta, ludentem in duplici verbi *μέλλειν* significatione (*futurum esse* et *cunctari*), quis ferre possit? Atenim "Euripides, si quis "alius veterum poetarum, quandoque dormitat, et sibi "impar modo eximia fundit, modo ad futilia ac paene "dixerim puerilia delabitur" [4].

Jam ostendi, non causa destitutam mihi videri sententiam quam de λαλιᾷ Euripidea tulit Aristophanes. Sed est tamen quo Euripidem excuses, neque id indicare praetermittam, ne Aristophanis judicium probando injustus in magnum tragicum poetam extitisse videar. Non auctor enim et inventor habendus est istius studii rhetorici,

---

[1] Bacch. vs. 367: *Πενθεὺς δ' ὅπως μὴ πένθος εἰσοίσει δόμοις.*
Ibid. vs. 508: *ἐνδυστυχῆσαι τοὔνομ' ἐπιτήδειος εἶ.*

[2] Troad. vs. 990: *καὶ τοὔνομ' ὀρθῶς ἀφροσύνης ἄρχει θεᾶς.*

[3] Orest. vs. 1635.

[4] Sunt verba V. Cl. C. G. Cobet Var. Lect.[2] p. 563. — Commemorari hic etiam potest locus quem ex Theseo, deperdita fabula, servatum legimus apud Athenaeum X pag. 454 b, ubi pastor indoctus, ad significandum nomen Thesei, quod ipse legere non potuit, verbis describit figuras singularum literarum Θ, H, C, E, Y, C; addit Athenaeus Agathonis et Theodectis in elementis vocum pueriliter ludentium nugas consimiles.

magno non solum civitatis sed bonarum quoque literarum detrimento inter Atticos gliscentis, sed rectius dixeris ipsum, ut aequales, obnoxium fuisse cuidam contagioni, non ab hoc vel illo homine profectae, sed temporis potius propriae. Cujus rei clarum argumentum possis ex ipsius Aristophanis scriptis petere; nam hic quoque poeta, si quis alius ἀπηλιαστής [1], saepius judiciali illo dicendi genere in suis fabulis est usus, proinde, dum censorem agebat vitiorum alienorum, non satis memor manticae in tergo pendentis. Sufficiat commemorasse orationem quam, ὑπὲρ ἐπιξήνου τὸν λάρυγγα ἔχων, in Acharnensibus dicit Dicaeopolis pro pace; amborum Λόγων disputationem in Nubibus; in Vespis canum litem; Peniae in Pluto orationem; nec non in Equitibus convicia Paphlagonem inter et macellarium alternata coram Demo; in Ranis denique nobilissimum certamen Aeschyli et Euripidis, arbitro Dionyso; quamquam e caeteris quoque ejus fabulis exempla colligere potuissem. Si igitur tam penitus ille furor perorandi obsederat Atticorum mentes, ut vix placeret fabula eo tempore, cui non sapor quidam esset judicialis, et ne ipse Aristophanes quidem oratorio stylo potuerit abstinere, nihil certe capitale commisit Euripides, quod mori sui temporis obsecutus est. Quod quum observo, non infitior Euripidem forensibus Atheniensium studiis vicissim addidisse stimulum, eaque ex illius exemplo nova incrementa cepisse; sed tamen iniquius mihi videtur Aeschylus Aristophaneus hanc ferre sententiam longe durissimam (Ran. vs. 1011 sqq.), Euripidem cives ἐκ χρηστῶν καὶ γενναίων μοχθηροτάτους ἀποδεῖξαι, ideoque morte dignum esse. Non a solo Euripide istius aevi studia et mores emanarunt: summae est incogitantiae tantum uni viro tribuere; non minus μοχθηροὶ evasissent Aristophanis aequales si nullus unquam fuisset Euripides.

[1] Arist. Avium vs. 110.

CAPUT VI.

EURIPIDES MORUM CORRUPTOR.

Post graves illas accusationes de labefactato cultu deorum et de commendata perniciosa facundia, nunc ad novam, hanc quoque non levem, venimus, videlicet Euripidem mores civium corrupisse.

Objicitur Euripidi ab Aeschylo in Ranarum fabula (vs. 1043) quod abusus sit scena tragica ad producendas *πόρνας*, Phaedram nimirum, Melanippen illam intempestive philosophantem, Stheneboeam, alias, idque fecerit odio mulierum. Brevi post, impotens irae, Aeschylus haec in eum evomit (Ran. vs. 1078):

> *ποίων δὲ κακῶν οὐκ αἴτιός ἐστ'*;
> *οὐ προαγωγοὺς κατέδειξ' οὗτος* [1],
> *καὶ τικτούσας ἐν τοῖς ἱεροῖς* [2],
> *καὶ μιγνυμένας τοῖσιν ἀδελφοῖς* [3]; etc.

Hic tamen dubitare possis quid vituperet comicus. Nam, quae erat antiquorum hominum, Aristophanisque prae multis, oris libertas, vix putare poterat morum corruptelae multum addi si palam sermo fieret de adulterio, de virgine vitiata et de similibus rebus pudendis. Ipse Aristophanes, cui, ut in Platonis Convivio [4] dicit Socrates, *περὶ Διόνυσον καὶ Ἀφροδίτην πᾶσα ἡ διατριβή*, tot

[1] Nutricem Phaedrae in fabula Hippolyto.

[2] Augen.

[3] Aeoli filias. Eandem ob causam supra vs. 850 dicitur *γάμους ἀνοσίους ἐςφέρων ἐς τὴν τέχνην*. Scilicet in Aeolo dramate *ἐβίνει ἀδελφὸς τὴν ὁμομητρίαν ἀδελφήν* (Canacen Macareus) Nub. vs. 1371; confer. etiam aculeata parodia versus ex hac tragoedia in Ran. vs. 1475.

[4] Pag. 177 E.

obscoenis jocis usus est, ne vocibus quidem honestioribus velans rerum spurcitiem, ut mirari possis qua fronte in Ranarum fabula Aeschyli verbis poscat, ut poeta turpia occulat, ne per eum innotescant adultae juventuti, cujus sit praeceptor [1]. Neque, cum illud odium mulierum, quo Euripides ardere ferebatur, rideat saepissime et vel totius comoediae materiem inde sit mutuatus [2], ipse mulieribus vel tantillo magis pepercit; immo plura in Thesmophoriazusis mulierum flagitia recensentur quam in cunctis Euripidis fabulis, ut vere observatum a Barnesio, acerrimo tragici propugnatore [3].

[1] Ran. vs. 1053 sqq.:

ἀποκρύπτειν χρὴ τὸ πονηρὸν τόν γε ποιητήν,
καὶ μὴ παράγειν μηδὲ διδάσκειν· τοῖς μὲν γὰρ παιδαρίοισιν
ἔστι διδάσκαλος ὅστις φράζει, τοῖς ἡβῶσιν δὲ ποιηταί.

Addere lubet Soph. Philoct. vs. 387 sq.:

οἱ δ' ἀκοσμοῦντες βροτῶν
διδασκάλων λόγοισι γίγνονται κακοί.

Locum e Ranis allatum videtur in mente habuisse K. O. Müller Gr. Lit. II, pag. 240, cum ita scriberet: "Man muss gestehen, dass der Dichter "im Hinblick auf seine Gegner oft bessere Principien in Betreff dieses "Punkts ausspricht, als er in seinen Stücken selbst wahrgemacht hat."

[2] Praeter Thesmophoriazusas, cujus fabulae inprimis videantur vs. 85 et 385 sqq., nec non 455 sq., ad Euripidis *μισογυνείαν* pertinent loci in Lysistrata vs. 283 et 369 sq.

[3] Vit. Eur. cap. 4: "fatendum est, in Thesmophoriazusis non tam "Euripidem, adversus quem drama illud institutum putatur, quam totum "femineum genus hunc comicum perstringere videri, peculiari sibi cavil-"landi charactere usum et quasi genio suo obsecundantem. Dum enim "Euripidem a mulieribus condemnatum fingit quod de iis male esset in "suis tragoediis locutus, multo plura istius sexus flagitia in unica illa "comoedia profert quam in omnibus suis tragoediis Euripides unquam "memoraverit; atque ita Euripidem accusando absolvit, mulieres vero "laudando excusandoque maxime denigrat." — (Plane idem dicitur a K. O. Müller Gr. Literaturgesch. II, pag. 247.)

In mulieres scripsit porro Lysistratam et Ecclesiazusas, quarum fabularum illâ pacem commendat, passim tamen arreptis occasionibus vellicandi femineam impudicitiam, hanc vero non alio consilio videtur composuisse quam ut mulieres spectatoribus deridendas propinaret. In Pluti quoque parte ultima eas duriter tractat. Praeter libidinem inprimis earum temulentiam castigat; vid. Thesm. vs. 630 sqq., 692 sqq. etc.

Num igitur dicemus tam injustum aut tam parum sibi consentientem fuisse Aristophanem, ut quae ipse facere soleret in altero reprehenderit? An potius rem confectam censebimus indicato discrimine inter tragicae et comicae scenae leges? Neutra via me judice ad scopum ducit; inprimis vero cavendum ne duas res minime easdem inter se permisceamus. Non id culpandum videbatur comico, quod Euripides *male* de mulieribus loqueretur et *improbas* in scenam duceret, sed quod in fabulis *tam multum* eas respiceret tantasque iis tribueret partes.

In scena Aristophanea de altero sexu saepe quidem, sed absque ulla reverentia, quin dicam probrose agitur, et ita ut plerumque materiem praebeat cachinnis parum verecundis, non raro etiam in contemtum adducatur, nunquam vero talem in modum, ut spectatores discant de mulieribus bene sentire [1]; nec majore loco comicus eas numerat quam servos sceleratos vel famelicos parasitas. Si idem egisset Euripides, sine dubio plaudentem sibi habuisset Aristophanem, neque hunc offendissent loci ubi Euripides sive in muliebrem sexum universe, sive in certa quaedam ejus vitia invehitur. Sed longe diversam viam ingressus est tragicus, cujus in fabulis, cum pro molliore quo utebatur poesis genere, tum ob nativam quandam poetae indolem, amor plerumque prora et puppis est [2]. Quum Aeschylus in tragoedia amori nullum, mulieribus modicum duntaxat locum concessisset [3], ille nullam paene fabulam composuit quin mulier magnas

---

[1] Cavet Aristophanes ne suas Musas *προαγωγοὺς ἀποφαίνῃ* Vesp. vs. 1028.

[2] Longinus *περὶ ὕψους* cap. 15: *ἔστι μὲν οὖν φιλοπονώτατος ὁ Εὐριπίδης δύο ταυτὶ πάθη, μανίας τε καὶ ἔρωτας, ἐκτραγῳδῆσαι, κἀν τούτοις, ὡς οὐκ οἶδ' εἴ τισιν ἑτέροις, ἐπιτυχέστατος.*

[3] Aeschylus in Ranis vs. 1026 sq., 1043 sq.:

διδάξας Πέρσας μετὰ τοῦτ' ἐπιθυμεῖν ἐξεδίδαξα
νικᾶν ἀεὶ τοὺς ἀντιπάλους, κοσμήσας ἔργον ἄριστον κτέ.
ἀλλ' οὐ μὰ Δί' οὐ Φαίδρας ἐποίουν πόρνας οὐδὲ Σθενεβοίας,
οὐδ' οἶδ' οὐδεὶς ἥντιν' ἐρῶσαν πώποτ' ἐποίησα γυναῖκα.

in ea agat partes. Neque *malas* solum mulieres cantavit, sed etiam permultas virgines et uxores admiratione vel miseratione dignissimas. Non diram modo (ut e superstitibus tantum dramatis exempla petam) Medeam et Phaedram adultera flamma ardentem duxit in scenam, non Electram modo immitem et in Ione Creüsam scelestam, sed etiam Iphigeniam amabilem puramque puellam, Polyxenam generosam regiae domus sobolem, Megaram dignam Hercule marito, Macariam intrepide morti se offerentem; non minorem in Phoenissis Jocaste nobis injicit sui misericordiam quam Sophoclea illa; Alcestide non potest fingi uxor conjugis amantior; Hecuba siccos non sinit manere oculos, et magis etiam moveret si aliquanto minus verbosa esset et atrox. Absurdum igitur si tragico objicitur quod Penelopen castam non celebrarit, Phaedram Menalippenque impudicas celebraverit [1], et illum certe Thesmophoriazusarum locum annumero iis accusationibus quas sive Attica, quae ibi loquitur, mulier, sive ipse Aristophanes temere in Euripidem jactavit [2]; nam si de una Penelope tacuit, at aliae complures egregiae heroinae ejus tragoediis debent famam immortalem [3].

---

[1] Thesmoph. vs. 546 sqq.:

ἐπίτηδες εὑρίσκων λόγους, ὅπου γυνὴ πονηρὰ
ἐγένετο, Μελανίππας ποιῶν Φαίδρας τε· Πηνελόπην δὲ
οὐπώποτ' ἐποίησ', ὅτι γυνὴ σώφρων ἔδοξεν εἶναι.

[2] Quae etiam est opinio K. O. Mulleri Gesch. der Gr. Lit. II, 146: "Man kann sich denken, wie vielen Anstoss dies Hervorziehen der Frauen "aus der häuslichen Beschränkung und Zurückgezogenheit, in welcher sie "in Athen lebten, geben musste; aber es heisst dem Euripides Unrecht "thun wenn man ihn, wie Aristophanes pflegt, zu einen Weiberhasser "macht; seine Behandlungsart thut den Frauen wenigstens eben so viel "Ehre wie Schmach an." — Vid. etiam ibid. pag. 247.

[3] Aliter judicatur a Mommseno, qui in ultimo capite primi tomi suae Historiae Romanae elegantissime, etsi pro suo consilio breviter, de Euripide disserens, ita scribit (ed. sextae pag. 908): "Die Schilderungen der "willig sterbenden Polyxena, der vor geheimem Liebesgram vergehenden "Phaedra, vor allem die prachtvolle der mystisch verzückten Bakchen sind

Sed hoc ipsum erat quod improbavit Aristophanes; scilicet hîc quoque comicum et tragicum dividebat illud discrimen jam saepius notatum, novum inter et antiquum. Quam obscura et jejuna esset vita mulierum Atheniensium et quam parva haberetur earum ratio, satis notum est; ingenuae puellae, parietibus paternae, deinde conjugalis domus inclusae, nihil aliud sibi destinatum videbant quam ut liberos procrearent et servarum opificiis praeessent [1]; neque ad eas afferebant proci flammam intemeratam

---

"in ihrer Art von der grössten Schönheit; aber sie sind weder künstlerisch "noch sittlich rein, und Aristophanes Vorwurf, dass der Dichter keine "Penelope zu schildern vermöge, vollkommen begründet."

Hic tamen virum magnum duas res confundere opinor. Altera quidem in confesso est, Euripidem commovendis quocunque modo pectoribus intentum, non eas tragicas personas sibi depingendas eligere quae morum tantum puritate ingeniique candore se commendent, sed tales potissimum, quae violentis animi motibus agitatae et insigniter infelices, spectatoris mentem quam maxime afficiant quatiantque, suique misereri cogant. Atqui hoc, quamvis verum, non vituperatur loco e Thesmophoriazusis allato, sed quod Euripides mulieres *malas* potius quam bonas in scenam duxerit. Istuc vero ei non injuria ab Aristophane esse objectum, non mihi persuadet Mommsenus, — nisi forte Polyxena quoque quam nominat, vel Iphigenia, *πονηραῖς* potius quam *σώφροσι* mulieribus sit accensenda.

[1] Ut rem satis cognitam uno exemplo illustrem, bene mihi videtur cum Aristophanis tum caeterorum ejus temporis hominum opinio de mulieribus exprimi verbis quae primo poetae comico, Susarioni, attribuuntur a scholiasta Dionysii Thrac. pag. 748:

ἀκούετε λεώς, Σουσαρίων λέγει τάδε,
υἱὸς Φιλίνου, Μεγαρόθεν Τριποδίσκιος·
κακὸν γυναῖκες· ἀλλ' ὅμως, ὦ δημόται,
οὐκ ἔστιν οἰκεῖν οἰκίαν ἄνευ κακοῦ.

(ex Stobaeo adde) *καὶ γὰρ τὸ γῆμαι καὶ τὸ μὴ γῆμαι κακόν.*

Juvat appingere verba Metelli Numidici ex oratione, quam Augustus recitavit quum de maritandis ordinibus egit in senatu: "si sine uxoribus "possemus Quirites esse, omnes ea molestia careremus; sed quoniam ita "natura tradidit, ut nec *cum* illis satis commode nec *sine* illis ullo modo "vivi possit, saluti perpetuae potius quam brevi voluptati consulendum est." (Gell. I, 6; cf. Liv. Epitom. 59, Suet. Octav. 89).

Permulti loci scenicorum de mulieribus contumeliose locutorum apud Athenaeum leguntur in libro XIII.

teneri sanctique amoris, sed ardores juvenum, quin et maritorum, potius hetaerarum consuetudini reservabantur. Castus igitur inter sponsum sponsamque vel inter conjuges amor parum aptam, meretricius vero, licitus etsi non legitimus, parum dignam praebebat materiem quam serii poetae canerent. Neque salva republica illa, quae creverat per civium robur et nervos, videbatur mulierum conditio mutari posse. Mascula autem et severa tragoedia Aeschylea, quam comicus unice probabat et civitati ducebat utilem, non majores mulieribus tribuerat partes quam quas in ipsa vita agebant. Σὸν δ' αὖ τὸ σιγᾶν καὶ μένειν εἴσω δόμων [1]: haec verba Eteoclis ad chorum Thebanarum mulierum, dum urbi appropinquabant hostes lamentantium, egregie exprimunt quid Aeschylus de sexu debiliore senserit. Cum eo autem faciebat Aristophanes, novitati infestus et mollioribus animi sensibus non ita pervius, quum praesertim timeret ne per musas Euripideas amor juventuti Atheniensi commendaretur tanquam res multo majoris momenti quam a patribus habitus esset.

Haec omnia si bene perpendimus, ita prope statuendum erit: accusationem de qua nunc agimus prima fronte plane falsam videri, nec revera ab omni parte probari posse; sed tamen, modo recte explicetur, multum habere quo se tueatur, et, si ut par est judicetur ex mente Aristophanis, nihil certe inesse calumniae. Quod autem attinet ad istūd mulierum odium unde tot risus jocosque duxit Aristophanes, id quidem jam perspeximus, Euripidem, si oderat mulieres, saltem eas non contemsisse. At ipsum illud odium non admodum potuit esse acre, certe non pertinax, quum tot heroinas celebraverit omni laude dignas. Notabile mihi videtur, eum in prioribus fabulis (Medea, Hippolyto) multo vehementius invehi in mulieres quam in iis quas maturioribus annis composuit;

[1] Aesch. Sept. c. Theb. vs. 232.

ita ut habeam verisimile, poetam, recentem injuriam ab uxore (vel uxoribus) perpessum, toti mulierum sexui bellum indixisse, et, pro suo ῥήσεων studio, sedulo captavisse occasionem iis maledicendi; postquam vero deferbuisset ira, et meliora eum docuisset aetas [1], exuisse veterem simultatem, cujus vix ulla vestigia reperias in multis ejus operum posteriorum, ubi vel favere mulieribus possit dici. Fateor tamen hanc suspicionem satis incertam esse, deperdita maxima ejus scriptorum parte; sed non opus videtur haec longius prosequi, cum vix attineant ad judicium quod de Euripide tulit Aristophanes, qui adversarii odium erga mulieres in Thesmophoriazusarum fabula sale quidem comico conspersit, sed citra omnem acerbitatem, et ita ut magis voluptati ridendi indulgere quam censorem agere videatur [2].

[1] Ut Creüsa dicit Ion. vs. 399 sqq.:

ἐν ταῖς κακαῖσιν ἀγαθαὶ μεμιγμέναι
μισούμεθ' · οὕτω δυστυχεῖς πεφύκαμεν.

Notum est Sophoclis dictum crasse facetum, Euripidem mulieres odisse in tragoedia solum, non vero in cubili. Athen. XIII, 557 e.

[2] Bernhard. l. l. pag. 396: "Zuletzt blieb den Komikern kein ernstes "Motiv mehr übrig, und ein völlig persönlicher Zug musste den wesentli- "chen Stoff zu den Thesmophoriazusen hergeben."

CAPUT VII.

EURIPIDES TRAGICAE DIGNITATIS PERDITOR.

Accedimus ad novam accusationem, quamvis cum ea quam postremo loco tractavimus arcte conjunctam: Euripidem infregisse dignitatem scenae tragicae. Primo obtutu mirum videri possit hoc crimine accersi eundem poetam cui objicitur nimia illa cura philosophiae et rerum sublimium, de qua egimus ante. Sed accurate investigantibus apparebit, utramque culpam ex communi causa, nimirum e studio novitatis, commode explicari posse. Videamus quid hac de re Aristophanes dixerit.

Acerbissime in ejus fabulis saepe Euripidi exprobrata invenimus ea quae comico videbantur cum tragicae musae dignitate pugnare. In Ranis iratus Aeschylus Euripidem his conviciis insectatur (vs. 841 sq.):

> σὺ δὴ 'μὲ ταῦτ', ὦ στωμυλιοσυλλεκτάδη
> καὶ πτωχοποιὲ καὶ ῥακιοσυρραπτάδη;

mox (vs. 846) etiam χωλοποιὸν eum vocat. Quid haec sibi velint epitheta parum honorifica, explanandum est.

Scilicet Euripides, modo spectatorum animos moveret de decoro non satis sollicitus, saepe per adminicula pusilla et omni gravitate carentia misericordiae sensum evocare studebat. Complures heroas in scenam duxit claudicantes: Telephum, Philoctetem, Bellerophontem [1];

[1] Euripidei Bellerophontis deridendi causa Aristophanes composuit initium Pacis, perquam ludicrum, ubi Trygaeus quidam Atheniensis apparet scarabaeo insidens quo adeat Olympum. Vix mordacius quicquam poterat excogitari quam ut praepeti Pegaso, qui chimaerae victorem vexit versus

non paucos etiam mendico indutos amictu, ut eundem quem modo nominavi Telephum; hunc revera ita fuisse adornatum ut in Acharnensium loco festivissimo[1] vide-

---

domum deorum, substitueretur scarabaeus σκατοφάγος. Multis etiam locis Trygaeus Bellerophontis verba παρῳδεῖ. Vs. 146 sqq. hoc legimus:

ἐκεῖνο τήρει, μὴ σφαλεὶς καταρρυῇς
ἐντεῦθεν, εἶτα χωλὸς ὢν Εὐριπίδῃ
λόγον παράσχῃς καὶ τραγῳδία γένῃ.

[1] Lepidam hanc particulam comoediae Aristophanae dignissimae subjungere juvat. Dicaeopolis, civis Atheniensis, postquam, belli pertaesus, privatim pacem cum Lacedaemoniis iniit, repetit suum fundum; ibi vero incidit in bellicosos δημότας, qui ei mortem minantur quod cum hostibus pactus sit. In summo periculo pro se dicturus, prius adit Euripidem (vs. 394 sqq.), a quo sibi flagitat vestitum miserationi movendae quam maxime idoneum (vs. 410 sqq.):

Dic. Euripides!

Eur. Quid clamas?

Dic. Sublimisne* drama componis, cum liceat in solido fundo? Non mirum claudos te facere heroas! Cur vero habes pannos tragicos, miserabiles vestes, juxta te jacentes? Non mirum mendicos te facere heroas! At per tua genua te obtestor Euripides, da mihi pannum e veteri fabula. Nam ad chorum mihi longa est oratio habenda, poena vero non probabiliter dicenti constituta est mors.

Eur. Si cupis aliquid scissi et sordidi, visne amictum quo Oeneus, senex infortunatus, erat indutus?

Dic. Non Oenei, sed etiam miserioris.

Eur. Caeci Phoenicis igitur?

Dic. Nec Phoenicis, sed alius est, Phoenice miserior.

Eur. Quas tandem sordes homo postulat? Dicisne eas quas gessit Philoctetes mendicus?

Dic. Immo hoc longe egentioris.

Eur. Visne ergo squalores quibus claudus Bellerophon erat tectus?

Dic. Non faciet Bellerophon, etsi ille quoque erat claudus, mendicus, loquax, indefessus orator.

Eur. Habeo virum quo indiges, Mysum Telephum.

Dic. Acu tetigisti: Telephi quaeso da mihi lacera tegmina.

Eur. Puer, da illi Telephi pannos; jacent autem supra Thyesteos, inter eos quos gessit Ino. — En accipe.

Dic. O Jupiter omnituens, ita fac adorner, ut quam miserrimus videar. Euripides, quoniam hactenus mihi morigeratus es, ne munera tua relinquas

* De hoc versu quid sentiam ostendi supra pag. 55, adn. 1.

.mus Dicaeopolin, equidem non ausim affirmare; sed ut dramatum deperditorum heroas mittamus, quorum

---

imperfecta, da mihi etiam, quo caput instruam, Mysium pileolum. Nam "hodie oportet me mendici speciem gerere; esse quidem qui sum, sed non videri"; spectatores quidem scire qui sim, sed chorentas stolidos adstare et a me deludi.

Eur. Dabo tibi, quandoquidem versuta mente subtilia machinaris.

Dic. Non minorem tibi opto felicitatem quam obtigit Telepho. Euge, jam redundo voculis aptis. Sed egeo baculi qualem tenent mendicantes.

Eur. En accipe et aufer te a lapideis postibus.

Dic. O anime*, viden' ut aedibus extrudar, multae adhuc supellectilis expers? Nunc opus erit pertinacia et impudentia. Euripides, da mihi sportulam perustam flamma lucernae.

Eur. Quis vero, improbe, sportulae tibi usus erit?

Dic. Nullus, sed tamen habere volo.

Eur. Molestum esse te scito. Abi.

Dic. Phy! Sors tua tam beata sit quam olim matris tuae.

Eur. Nunc proripe te.

Dic. Sed adde id unum: pocillum ora defracta.

Eur. Abi in malam rem cum pocillo; negotia mihi facessis in domo mea.

Dic. At nescis per Jovem quantum ipse mali facias. — O mellite Euripides, hoc unum adhuc da mihi, ollulam spongia obturatam.

Eur. Vae mihi, integram tragoediam mihi tolles! Sume ollulam et abi.

Dic. Jam abeo. Quamquam quid agam? nam aliquid etiamnunc desidero, quod nisi consequar perii; ausculta, o mellite Euripides; hoc tantummodo si impetravero, abibo non rediturus: in sportulam quaeso indas nonnihil oleris flaccidi.

Eur. Perdes me. En tibi: vale tragoedia!

Dic. Nihil amplius, abeo, nam revera sum nimis molestus, "nec satis timeo offendere principes." — At eheu actum est de me, nam id a quo omnia pendent omisi. O mellitissimum corculum Euripides, pessime dispeream si quid sum insuper petiturus, praeter id unum, id unicum solumque: da mihi caulem e matris tuae haereditate.

Eur. Insultat mihi homo: occlude valvas aedium.

Dic. O anime, sine caule abeundum est.

Wagnerus in fragmentorum Euripideorum editione ex hoc loco collegit, Telephum Euripideum revera gessisse corbulam semiustam, phialam non integram, ollam spongia vice operculi clausam, et in corbula olus marcidum. Sed nescio an praestet non adeo verbis comici insistere.

* ὦ θυμέ. Conf. Equit. vs. 1194, Euripidis inter alios locos inprimis Med. v. 1057.

nonnullos commemoratos vidimus loco allato [1], etiam in servatis Euripidis fabulis plures personas invenimus quas externis quoque adversae fortunae signis miserationi commendare voluit poeta. De Menelai sordido vestitu in Helena saepius sermo fit [2]; neque Electra in fabula cognomini multo comtior prodit [3]. In Orestis initio apparet heros tam horridus aspectu, ut non possit pejus, comae squallore et oculorum orisque illuvie testantibus recentem furorem unde modo resipuit [4]. Pentheus Maenadas visurus στολισμὸν induit vere Euripideum, muliebres nempe vestes [5]. Sic saepe quae ad habitum et cultum pertinent aliasque id genus minutias in usum vocat, quo magis tangat spectatoris animum. Quatenus hoc fieri potuit salva scenae dignitate, equidem laudabo potius quam culpabo; quod exempli gratia Peleus, Andromaches vincula solvens, cum Menelao expostulat de nodis tam arcte adstrictis ut miserae mulieris manus tumerent [6], non multum sane habet gravitatis cum in ipsius vitae discrimine versetur Andromache, sed minime tamen est supervacuum, quum haec Menelai inutilis saevitia, imbellem mulierem cruciantis, obiter commemorata efficacius

---

[1] Aerumnosorum heroum Euripideorum catalogum videre est etiam in fragmento ex Timoclis Dionysiazusis servato apud Athenaeum, VI, pag. 223.

[2] Menelaus tam squalida veste apparet ut ab Helena pro praedone habeatur. Vs. 561:

καὶ μὴν στολήν γ' ἄμορφον ἀμφὶ σῶμ' ἔχεις.

Ipse de se Menelaus vs. 1085:

καὶ μὴν τάδ' ἀμφίβλητρα σώματος ῥάκη
ξυμμαρτυρήσει ναυτικῶν ἱρειπίων.

Theoclymenus de eodem vs. 1220:

Ἄπολλον, ὡς ἰσθῆτι δυσμόρφῳ πρέπει.

[3] Electra habet πιναρὰν κόμαν καὶ πέπλων τρύχη (vs. 184 sq.). Conf. etiam vs. 304 sq. — Senex quoque τροφός movet spectatorum miserationem τρύχει πέπλων (vs. 501), dominae similis ergo minister.

[4] Orest. vs. 219 sqq.

[5] Bacch. vs. 827 sqq.

[6] Andromach. vs. 719 sq.

ostendat ejus vile ingenium [1] quam longa quae praecesserat altercatio. Sed omnino improbanda sunt illa ῥάκη, quorum Euripides, si fides Aristophani, plenam servabat cistam, unde heroum afflictorum depromeret vestimenta; vituperanda quoque senum debilium affectatio [2], quorum genua trementia si ad celeriorem cursum impellantur, perbene risum movere possint, ut in Pluto Aristophanis, sed nunquam affectus vere tragicos sive excitare sive augere. Neque quisquam, opinor, hic provocabit ad exemplum Homeri, Ulixem πτωχεύοντα describentis et Laërtem indutum ῥυπόωντι χιτῶνι ῥαπτῷ ἀεικελίῳ, ut qui in dispari poesis genere ea narrare potuerit sine ulla offensione, quae si in theatro videres nauseam facerent [3].

In his quoque Euripides sequitur novam rationem, id manifeste agens, ut vitam qualis revera est, in minutioribus quoque partibus, presse imitetur et accurate exprimat, quum priores poetae res humanas pingentes arctioribus finibus se continuissent, et ea quae vulgarem hominum vitam redolerent tragica scena judicassent indigna [4]. Notabile Sophoclis dictum, optime discrimen

---

[1] Siquidem ei abjectam indolem affingere placuit poetae, ut civibus μισολάκωσι palparetur; ejusmodi πονηρίαν ipsi fabulae non necessariam Aristoteles Poet. cap. 15 et 25 vituperavit.

[2] E quibus constat chorus in Hercule furente, vd. vs. 107 sqq.; adde Tiresiam in Phoenissis anhelantem vs. 836 sqq., Tyndarea qui aetate invalidus adducitur et abducitur a famulis Orest. vs. 474, 629, paedagogum senio vacillantem in Ione vs. 741 sqq. — "Seine Alten klagen immer über "die Gebrechlichkeiten des Alters, und steigen besonders den Aufgang aus "der Orchestra auf die Bühne, ... über die Mühseligkeit seufzend, mit "wankenden Knien hinauf." Schlegel Vorl. über dram. K. u. L. I[2] pag. 209.

[3] De qua re audiatur Lessingius in praeclaro illo tractatu de Laocoonte. Eodem jure narratio de Nausicaa Ulixi inter lavandum operam ministrante adhiberi posset ad praetexendam quamlibet mimorum lasciviam.

[4] Rectissime Aristoteles Poet. 15 poetis scenicis imitari commendat bonos iconographos, qui dum similitudinem ex vero exprimunt, adjiciunt pulchritudinem vero majorem. Addere possis, hoc quoque boni pictoris esse, ut leviora non ita anxie elaboret, plenam artis virtutem reservans gravioribus

inter ipsum et Euripidem ostendens, servatum est apud Aristotelem Poet. cap. 25: Σοφοκλῆς ἔφη, αὐτὸς μὲν οἵους δεῖ ποιεῖν, Εὐριπίδην δὲ οἷοι εἰσίν [1]. Est ut Sophocles dixit; sed homines οἷοι εἰσί non satis conveniunt scenae tragicae, et male factum quod Euripides heroas suos, ut similes redderet hominibus quotidianis, saepe oblivisci coegit se incedere cothurnatos, vel (ut Porsoni [2] verbis saepe allatis ego quoque utar) Melpomenen ad res domesticas detrusit. Aut nimis multum hic innovatum aut parum. Semel enim servatis claris heroum nominibus, etiam eorum dignitati consulendum erat; sin vulgarium hominum similes producendae videbantur scenicae personae, utinam non regalem modo chlamydem, sed cum vestitu etiam nomen abstulisset, ut in semideorum locum succederent cives Attici de foro vel e demis rusticis [3]. Apparet, Euripidem, accedentem ad comoediam novam non tamen relicta veteri tragoedia, hic quoque dum duo artis genera funditus diversa conjungere studet, neutrius legibus satisfecisse.

---

partibus tabulae, cujusmodi sunt facies, oculi, manus; in vestium vero ornamentis desudare solent ii qui majora perficere nequeunt.

Discrimen artis Aeschyleae et Euripideae tangitur Ranar. vs. 960 sqq.

[1] De cujus loci recta interpretatione consulendus Lessing. Hamb. Dramat. N°. 94 sq. Cf. supra pag. 53 adn. 1.

[2] Ad Orestis vs. 1106.

[3] Eleganter Curtius Gr. Gesch. III³, p. 70: "Aus den gewaltigen "Charaktermasken, wie sie für die Gestalten des Aischylos erfunden "waren, tönte die dünne Stimme von Alltagsmenschen hervor."

CAPUT VIII.

EURIPIDES IN TRAGOEDIIS COMPONENDIS MALUS ARTIFEX.

Hactenus de iis accusationibus vidimus quae attinent ad res ab Euripide tractatas. Sed non materies modo, forma quoque ab Aristophane passim culpatur. In Capite tertio, quum agerem de Euripidea πολυμηχανίᾳ, ostendi in dramatum oeconomia eum plerumque non esse laudandum [1], quum nimis multa, eaque parum cohaerentia, in singulis fabulis accumulare soleat. Hac de re quum multis verbis meam sententiam jam explicuerim, nunc non iterum dicam. Sed duo sunt alia, ad dramatum structuram pertinentia, de quibus hoc loco exponendum erit [2].

Praecipue in censum hic veniunt prologi, quibus non pepercisse Aristophanem quis miretur, qui sciat eos primum ab Euripide tragoediis praefixos fuisse, et quanto novitatis odio comicus flagraret? De iis agit in parte Ranarum perridicula, ubi Aeschylus ἀπὸ ληκυθίου condemnat Euripideorum dramatum exordia. Scilicet Euripide recitante primos versus suarum tragoediarum, Aeschylus quoties occasionem datam sibi videt, desinente sententia

[1] Aristoteles Poet. 13: καὶ ὁ Εὐριπίδης, εἰ καὶ τὰ ἄλλα μὴ εὖ οἰκονομεῖ, ἀλλὰ etc.

[2] Fortasse praestaret si omnia quae spectant ad dramatum oeconomiam uno tenore absolvissem, sed non inveni divisionem quae id mihi facere permitteret et simul aliis quoque nominibus satis esset probabilis. Quae enim Capitibus II—IV exposui, ea non divellenda videbantur; quum autem statuissem prius de *rebus* ab Euripide tractatis agere, id quod jam ad finem perduxi, deinde de iis quae *formam* vel stylum attingunt, id quod nunc aggredior, evitare non potui illud in digerendo incommodum.

in caesuram πενθημιμερῆ. addit "ληκύθιον ἀπώλεσεν." Videamus ejus loci initium (Ranar. vs. 1198 sqq.):

Aesch. καὶ μὴν μὰ τὸν Δί' οὐ κατ' ἔπος γέ σου κνίσω
τὸ ῥῆμ' ἕκαστον, ἀλλὰ σὺν τοῖσιν θεοῖς
ἀπὸ ληκυθίου σου τοὺς προλόγους διαφθερῶ.
Eur. ἀπὸ ληκυθίου σὺ τοὺς ἐμούς;
Aesch. ἑνὸς μόνου.
ποιεῖς γὰρ οὕτως ὥστ' ἐναρμόττειν ἅπαν,
καὶ κῳδάριον καὶ ληκύθιον καὶ θυλάκιον,
ἐν τοῖς ἰαμβείοισι. δείξω δ' αὐτίκα.
Eur. ἰδού, σὺ δείξεις;
Aesch. φημί.
Dionys. καὶ δὴ χρὴ λέγειν.
Eur. Αἴγυπτος, ὡς ὁ πλεῖστος ἔσπαρται λόγος,
ξὺν παισὶ πεντήκοντα ναυτίλῳ πλάτῃ
Ἄργος κατασχὼν
Aesch. ληκύθιον ἀπώλεσεν.

Sic plurium prologorum initia intercinit illud molestum ληκύθιον, donec finis certamini imponatur quum verendum sit ne mox ipse quoque Jupiter amittat suum vasculum unguentarium vs. 1244 sqq.

Quam vehementer hoc Aristophanis joco delectati sint spectatores, illud testimonio est, quod posterior pars trimetri iambici, caesuram πενθημιμερῆ habentis, inde nomen ληκυθείου accepit. Non recte tamen putares [1], comico improbatam fuisse ipsam illam caesuram post primam syllabam secundae dipodiae, quae quum per se commendetur, tum innumeris exemplis e scriptis Aeschyli Sophoclisque ipsiusve Aristophanis defendi posset si opus videretur. Plane alia sunt vitia prologorum Euripideorum quae hoc scommate, subobscuro fortasse, notat comicus, et tanto quidem jure notat, ut, quum caeterae accusationes non pauciores adversarios quam fautores invenerint, vix quisquam tam acer extiterit Euripidis admirator qui hac

[1] Quae est Valckenarii sententia, vid. ejus annot. ad Eur. Hippol. vs. 2.

quoque in parte ejus causam tueretur, exceptis tantum Barnesio et Lessingio. Horum alterum, doctum quidem sed parum subacti ingenii Anglum, hic missum faciam; alter vero, qui ad scenicas res dijudicandas tum magna eruditione tum multo usu erat paratissimus, sane dignus est ad cujus opinionem mox attendamus.

Si igitur inquisituri sumus, quibus vitiis prologi Euripidis laborent, jam statim videmus eos esse aliquid plane novi [1]. Notabile inprimis mihi videtur, hoc quoque nomine Euripidis fabulas ad novam comoediam accedere, in qua moris fuisse ex imitatione Latinorum novimus, ut antequam diverbium inchoaretur, monologia vel praefatione ea enarrarentur spectatoribus de tempore, loco et fabulae personis quae praecognoscere necessum esset. Non dubito quin recte judicent [2] qui ex novitate argumentorum causam hujus instituti repetunt; nam donec tradita tantummodo sine mutatione tractabantur, vel ipso titulo dramatis audito spectatores ea sciebant quae ad fabulam bene intelligendam sufficerent; postquam vero veteri tragoediae nova successit comoedia quae in fictitiis plane argumentis personisque versabatur, de his aliqua praemonitio debebatur spectatori, talia fere complectens uti nunc leguntur in tabella prelo excusa, quae theatrum intrantibus offerri solet. Euripides autem, more suo medium quendam cursum tenens, multa prorsus nova et a se ficta inseruit antiquis historiis, ita ut personae, quas ducit in scenam, interdum nihil praeter nomen e traditis narrationibus servaverint. Haec igitur, nisi

[1] Mommsen, Röm. Gesch.[6] I, pag. 908: "Die liederliche Manier, den "Knoten durch den Prolog zu schürzen und durch eine Göttererscheinung "oder eine ähnliche Plumpheit zu lösen, hat recht eigentlich Euripides "aufgebracht."

[2] Schlegelius (5e Vorlesung über dram. Kunst und Lit.), G. Hermannus (praef. ad Soph. Electr. pag. X), K. O. Mullerus (Gr. Litt. gesch. II, p. 150); quibus obloquentem Pflugkium (in sua Euripidis editione, p. XXXVI praefationis), ego intelligere non potui.

omnia me fallunt, causa fuit cur prologis utendum sibi esse putaret.

Sed prologi Euripidei id peculiare habent quod non modo indicant quae facta, sed etiam quae futura sint. Hac quidem in re neque quem imitaretur invenit, neque quantum scio secutus eum est quisquam. Saepe hoc nomine reprehensus est, quum minus valere ad animos movendos censeretur fabula cujus exitus jam e prologo notus esset. Defendere studuit Lessingius [1], qui putat Euripidem id bona de causa consulteque fecisse, nimirum ut spectatores, jam inde ab initio perspecta καταστροφῇ, potentius afficerentur priore dramatis parte qua continetur expositio; vere porro observat, si notus exitus noceret, iterum scenae commissam fabulam nunquam placituram. Non invitus equidem in judicio Lessingii acquiesco, quum praesertim Aristophanes hanc prologi Euripidei proprietatem non vituperarit; liceat ergo poetae jam a limine significare spectatoribus quae deinceps eventura sint; sed nunquam adducar ut comprobem ipsos prologos quibus Euripides id consilium persecutus est. Immo potius adstipulor Aristophani, quum ληκύθιον suum affigit prooemiis illis pumice siccioribus, vere somniferis interdum,

[1] Hamb. Dramat. n°. 48 sq.:

"Die Rührung die er hervorbringen wollte versprach er sich nicht so-"wohl von dem *was* geschehen sollte als von der Art *wie* es geschehen "sollte."

"Ist es nicht besser dass wir sie (res futuras nimirum, soli numini notas) "durch die Dazwischenkunft eines Gottes vorher erfahren, als gar nicht?"

Ridet porro Angli Whitehead drama Creüsam "wo ihr alles von einem "alten plauderhaften Vertrauten erfahrt den eine verschlagene Zigeunerin "ausfragt." (Quaeras tamen, si Angli drama Euripideo longe inferius est, annon hac una certe in parte Anglus Graecum vicerit).

Denique hoc scribit: "Es ist klar dass alle die Stücke, deren Prologe "ihnen (criticis nempe) so viel Aergerniss machen, auch ohne diese Pro-"loge vollkommen ganz und vollkommen verständlich sind..... Vergebt "dem Dichter doch immer einen Fehler der mit einem einzigen Striche "der Feder gut zu machen ist."

quorum alterum alteri tam simile quam ovum est ovo. Historia, cui fabula est superstructa, necesse est nobis quam primum innotescat, neque repugno quominus futura quoque praenuncientur, quo major fiat horror aut miseratio jam per priorem fabulae partem; (etsi in illa re certum quendam modum servari velim, cum caeterum revocare in mentem lectoris mihi liceat quae de nimia vi, quam apud Euripidem dii exercent in res humanas, dixi supra pag. 29 sqq.); sed permagni refert qua via ille scopus attingatur. In Euripidea scena statim depresso aulaeo procedit heroina quaedam [1], longam monologiam decantatura; cuncta de se suisque exacte fuseque enarrat, citra omnem tamen animi affectum: dixeris eam ex annalibus pagellam praelegere, adeo examussim describit stemma suum [2], a Tantalo Cadmove exorsa. Quis vero aequa mente audiat Jocasten, dum summis, ut ipsa testatur, calamitatibus oppressa enucleat genealogiam Labdacidarum? Aut quomodo fieri poterit ut mox multum tangamur infortuniis heroinae cujus tam male pertaesum sit initio dramatis? Aliquanto levius est incommodum ubi deus praefationem pronunciat [3], et hujusmodi prologi sunt quibus tutelam praestat Lessingius. Minimam mihi

---

[1] Feminis hic quoque saepe primus cedit locus, non sine omine, si respicis magnas partes quas passim agunt in fabulis Euripideis.

In Oreste prologum recitat Electra, Jocaste in Phoenissis, Andromache, Iphigenia et Helena in fabulis cognominibus.

[2] Jocose imitari videtur Aristophanes Acharn. vs. 47 sqq. — In Ranis vs. 937 sqq. Euripides suam tragoedias faciendi rationem describens, jactat eas nunquam caruisse exordio, sed primum quemque actorem rite exposuisse de gente, cujus in dramate primariae essent partes. Quae procul dubio — malitiose respondet Aeschylus — tuâ erat multo melior.

[3] Aphrodite in Hippolyto, Bacchus in Bacchis, in Troasi Poseidon, in Ione Hermes, Apollo in Alcestide, cujus prologus a Goethio vocatur praeclarae artis specimen, (vid. ejus *Götter, Helden und Wieland*, ubi tamen eo consilio videtur impensius laudare Euripideam fabulam, quo, comparatione instituta, in majorem contemtum adducat Wielandi drama ejusdem nominis).

videtur creare molestiam persona quae recitato prologo non amplius apparet, ut in Hecuba anima Polydori.

Magnopere miror, tot prologos omni arte destitutos et paene insulsos ab Euripide esse confectos, quum tamen non nesciret quomodo opportune et simpliciter ea enarrari possent quae innotescere deberent spectantibus; ut ostenditur initio Medeae et prae caeteris egregio illo dialogo unde incipit Iphigenia Aulidensis [1]. Cur poeta persaepe maluerit frigide et rigide quam leniter et naturae convenienter in fabulae argumentum inducere spectatores, non facile tibi explicaveris; sed ne Lessingii quidem auctoritas me movet ut eum in prologis "ipsum artis fastigium" attigisse credam; immo sic mallem statuere, prologos utile et non infelix fuisse Euripidis inventum, sed in iis componendis dupliciter eum lapsum esse, primo nimium locum cedendo diis, deinde nimis indulgendo loquendi libidini [2], quo factum ut ejus heroes heroinaeque jam dramatis initio longas orationes edant cum caeteris fabulae partibus plane non cohaerentes, et tam misere frigidas ut pejus nequeat, utque Theognide illo cui Nivis inditum cognomen [3] digniores videantur quam poetâ quem Aristoteles appellavit τραγικώτατον [4].

Ut denique respondeam ad illud dictum Lessingii: "ne aegre feratis poetae vitium — si modo vitium — cui

---

[1] Musgravius suspicatus est verum prologum fabulae temporis injuria periisse. Quod si ita esset, felicem jacturam existimarem. Bremius et Matthiae initium hujus tragoediae, conscriptum versibus anapaesticis, subditicium censuerunt, G. Hermannus vero contra illos disserens (pag. 8 sqq. prolegg. suae editionis) mihi quidem plane persuadet, sine causa Euripidi abjudicari. Dindorfius genuinum esse exordium anapaesticum, eique Euripidem minorem subjecisse alterum iambicum putat. — Durius de hujus dramatis expositione Bernhardius l.l. pag. 472 judicavit.

[2] Ἐν τοῖς προλόγοις ὀχληρὸν eum vocavit acutus ille criticus anonymus, cujus breve extat judicium de Euripide in proleg. Dindorf. III, merito ab hoc editore laudatum.

[3] Schol. ad Arist. Vesp. vs. 11.

[4] Aristot. poet. 13.

"spongia mederi possit": idem de omnibus illis sententiis philosophicis valet, idem porro remedium adhibere posses tot episodiis ad cardinem rerum non pertinentibus, permultis etiam chori canticis; non paucos denique sermones crebris lituris in breves epitomas contrahere posses: quota sic tandem superesset pars dramatum Euripideorum! Restarent ossa nuda, sine ullo decore, ablata carne nitidaque cute.

Aristoteles (Poet. cap. 18) de Euripide non sine quadam reprehensione loquitur, ubi agit de partibus quae choro sint tribuendae in bene morata tragoedia. Τὸν χορόν, inquit, ἕνα δεῖ ὑπολαβεῖν τῶν ὑποκριτῶν, καὶ μόριον εἶναι τοῦ ὅλου, καὶ συναγωνίζεσθαι, μὴ ὥσπερ Εὐριπίδῃ ἀλλ' ὥσπερ Σοφοκλεῖ. Cum hoc judicio consentit Horatius in Artis Poeticae praeceptis [1]; manifesto autem ipsa id suadet ratio. Scilicet unitas illa, quam in poetarum tragicorum non minus quam in aliorum artificum operibus requiri vidimus, in haud leve vocatur discrimen, si qua pars dramati interjicitur quae cum caeteris partibus parum nihilve habeat commune. Quae Cap. III § 2 de lege unitatis exposui, in animum sunt revocanda, quo melius intelligamus quanti referat ut chorus nihil agat vel dicat quod a fabula sit alienum. Chororum cantica inde ab ipsis tragoediae incunabulis versabantur in laudibus deorum, heroum, patriae; hinc ergo quidcunque singularum fabularum argumentis conveniret delibandum erat poetis tragicis, qui hoc meliores se praestabant artifices, quo majore dexteritate prospiciebant ut ista encomia apte cum reliquis dramatis partibus congruerent eundemque gererent colorem. Porro notandum est, chori

[1] Vs. 193 sqq.: Actoris partes chorus officiumque virile
defendat; neu quid medios intercinat actus
quod non proposito conducat et haerent apte.

in Attico theatro munus labentibus annis sensim decrevisse; quum enim antiquitus minorem tragoediae partem diverbia, majorem chorica implerent, et etiam in Aeschyleis dramatis a cunctis histrionibus vix plures versus quam a choro proferantur, Sophocles ejus cantica in longe angustiores fines coegit. Idem vero isti dramaturgiae parti insignem quandam curam artemque adhibuit, quo factum est ut in ejus tragoediis chorici cantus non modo eximia quum dulcedine tum gravitate captent auditorum animos, sed etiam cum ipso argumento totaque structura arctissime sint connexi et feliciter conspirent omnia. Euripides vero, qui deos non nisi poesis ergo colebat, cui heroes vix aliud erant quam supellex tragica, et quem omnia testantur magis cosmopolitam quam civem fuisse Atticum, quid faceret choro? Lubenter sine dubio sustulisset; sed obstitit quaedam ejus religio vel timiditas. Semel autem in scenam admissus, videndum erat ut ne chorus ille, qui quod ageret vix haberet, plane κωφὸν sustineret πρόςωπον. Sed non satis perpendit Euripides orchestram ideo vicinam esse proscenio ut quae in ea canantur arcte cum histrionum dictis et actione cohaereant, neque igitur hunc usum posse praebere, ut poeta ejus ministerio suam in verbis ligandis modisque fingendis ostentet artem, quae quamvis singularis et praeclara, si extra fabulae limites vagetur, nihil conducit parumque laudis meretur.

Diu miratus sum quod hac de re nullum locum Aristophaneum invenirem, quum non dubium mihi videretur quin lynceüs ille criticus hoc quoque vitium in Euripidis tragoediis deprehenderit. Tandem incidi in Acharnensium versum 443, ubi, in transitu tamen et aliquanto obscurius, ridet Euripideum chorum, quum dicit τοὺς χορευτὰς ἠλιθίους παρεστάναι.

Iterum hic apparet Euripidis in veteris tragoediae legibus mutandis infortunium, qui, quacunque a praeces-

soribus deflectat, subductis calculis longe iis deterius rem egisse censendus sit; pariterque affinitas illa, toties jam a me commemorata, inter novam comoediam, choro carentem, ejusque dramata. Hîc quoque in eo conspicitur transitus quidam a veteri arte ad novam; mulos hîc quoque gignit, ut recurram ad Germani philosophi allegoriam [1]. Quum enim choro quid faceret vix bene nosset [2], neque sane actoris partes officiumque virile ei impertiretur, non tamen istuc ausus est progredi ut eum prorsus dimitteret, sed ad cantica modulanda eo est usus, haud vulgaris quidem artis documenta, sed cum ipsis fabularum argumentis saepe aut nihil confine habentia, aut tam parum ut vix dignosci queat [3]. In caeteris fabularum partibus adstat otiosus testis, pisce mutior ubi vel summa scelera scit parari, quae uno verbulo praecavere posset [4]. Quum forensis agitur disceptatio, tantulum ho-

---

[1] Hamb. Dramat. nº. 48. Cf. supra pag. 35 adn. 5.

[2] Bernh. l.l. pag. 413: "dieser unvermeidliche Nachlass des dramatischen Gedichts drückt ihn als ein lästiges Herkommen" etc.

[3] Ut hujus rei exemplum afferam, delego lectorem ad Helen. vs. 1317—1384, ubi non intelligitur quo consilio Cybeles vel Cereris fata canantur. [In corruptis vss. 1369 sqq. Musgravius putat alludi ad Thesea qui "septennem defloravit Helenen." Num Thesmoph. vs 480 forte eodem respicitur??]

In Electra fabula non minus mihi displicet quod Homeri satis laeva imitatione describitur clypeus Achillis, loco minime apposito. Non enim de Achille sed de Agamemnone agendum erat. Nisi, ut post tantam digressionem ad rem redeatur, sufficiant haec verba, praeconium Achillis ejusque armorum subsequentia (vs. 478 sq.):

τοιῶνδ' ἄνακτα δοριπόνων
ἔκανες ἀνδρῶν, Τυνδαρί, σὰ λέχεα, κακόφρων κόρα.

Mirificum profecto laudandi modum, quo gloria Achillis transscribitur in Agamemnonem! Quasi vero Atrides famae suae florem deberet uni ex principibus qui sub ejus vexillo pugnaverant, et nihil ipse egisset quod celebratu dignum esset.

[4] Ut mittam chorum in Hippolyto, pravo jurejurando obstrictum, inprimis miranda est ea taciturnitas in Medea fabula, ubi chorus, quum sciat heroinam parare caedem triplicem, nihil se evulgaturum promittit; quid

noris ei contingit ut post singulas orationes duobus tribusve versiculis, putetne bene an male esse dictum, enunciare sinatur. Sed si abesset a nemine desideraretur [1], et jure de eo quaeri potest sicut in parabola biblica de ficu sterili: cur frustra locum occupat?

---

quod a Medea in consilium adhibetur ubi de mortis *genere* deliberat vs. 376 sqq.:

πολλὰς δ' ἔχουσα θανασίμους αὐτοῖς ὁδούς,
οὐκ οἶδ' ὁποίᾳ πρῶτον ἐγχειρῶ, φίλαι·
πότερον ὑφάψω δῶμα νυμφικὸν πυρί,
ἢ θηκτὸν ὦσω φάσγανον δι' ἥπατος.

— — — — — — — —

κράτιστα τὴν εὐθεῖαν, ἤ πεφύκαμεν
σοφαὶ μάλιστα, φαρμάκοις αὐτοὺς ἑλεῖν.

Iterum de suis veneficiis et sicis cum choro confabulatur disertis verbis vs. 764—823. Profecto non ita palam de dominorum caede dissereret coram Corinthiis mulieribus, ni sciret eas revera ἡλιθίας παρεστάναι.

[1] Praeter ceteras Euripidis tragoedias Electra sine ullo damno careret choro, cujus in hac fabula partes adeo ad nihilum redeunt, ut inter legendum paene obliviscaris adesse.

CAPUT IX.

EURIPIDES IN VERSIBUS PANGENDIS NOVATOR.

Ratio, quam Euripides in versibus pangendis secutus est, non minus severe ab Aristophane condemnatur quam quaecunque ad dramatum compositionem materiaeque tractationem pertinent. Hîc etiam quicquid novi excogitavit et quicquid a praecessoribus discrepare sibi permisit, comico vel eo ipso nomine culpandum videtur.

Primo quidem videamus de canticis. Extat de his locus perquam probrosus in Ranis, vs. 1298 sqq., ubi Aeschylus imitaturus cantica Euripidea sic loquitur:

> ἀλλ' οὖν ἐγὼ μὲν ἐς τὸ καλὸν ἐκ τοῦ καλοῦ
> ἤνεγκον αὖθ', ἵνα μὴ τὸν αὐτὸν Φρυνίχῳ
> λειμῶνα Μουσῶν ἱερὸν ὀφθείην δρέπων.
> οὗτος δ' ἀπὸ πάντων μὲν φέρει πορνιδίων [1],

[1] Lectionem vulgatam, metro repugnantem (— ∪∪ —), Kockius in sua editione sibi emendasse visus est, legendo *παροινίων*, quod vocabulum neque sensui satis congruit, neque Graecum est. Non alia exempla e bonis Atticis scriptoribus allata vidi in Dindorfii Thesauro quam Arist. Acharn. vs. 981, *παροίνιος ἀνὴρ ἔφυ*, ex quo loco tamen, emendatione non dubia, spurium hoc adjectivum abegit Vir Clar. Cobet, legens *πάροινος ἀνὴρ ἔφυ* (vid. Mnemosyne anni 1874, pag. 414 sq.). Sed fac licere vocabulum tam malae notae obtrudere Aristophani, quid significabit? Comicus tantum de *hominibus ebriis* dicit *πάροινος*, sin eum cogemus loqui lingua scholiastarum, *παροίνια* nil nisi *σκόλια* erunt, quae proximo versu nominantur. Vid. sch. Vesp. 1231: *σκολιὰ τὰ παροίνια μέλη*, ib. 1217: *τὰ σκολιά, ἃ εἰσι παροίνιοι ᾠδαί*.

Non felicior Kockio in nostro loco corrigendo olim fuit Porsonus, cujus conjectura (*οὗτος δ' ἀπὸ πάντων πορνιδίων μέλη φέρει*) contextum prorsus perturbat. Mihi in mentem venit:

οὗτος δ' ἀπὸ πάντων μὲν φέρει, πόρνης δίκην,

id est: *hic vero, ceu meretrix, a quolibet lucrum capit.*

σκολίων Μελήτου, Καρικῶν αὐλημάτων,
θρήνων, χορείων· τάχα δὲ δηλωθήσεται.
ἐνεγκάτω τις τὸ λύριον. καίτοι τί δεῖ
λύρας ἐπὶ τοῦτον; ποῦ 'στιν ἡ τοῖς ὀστράκοις
αὕτη κροῦσα; δεῦρο Μοῦσ' Εὐριπίδου,
πρὸς ἥνπερ ἐπιτήδεια ταῦτ' ᾄδειν μέλη [1].

Hoc igitur utens instrumento, quippe quod magis faceret ad carmina Euripidea quam lyra austera, quae designavit vitia repraesentat in ridicula cantilena, qua adversarii *μέλη* imitatur [2]. Quae ibi exploduntur haec sunt: dictionis quaesita sublimitas, qua res vulgares saepe tumide et obscure enunciantur (de qua re, in IV° hujus speciminis Capite jam tractata pag. 54 sqq., nunc non opus est iterum dicere), et numerorum nimia varietas, magis effeminatis vel meretriciis quam castis auribus apta [3]. Praeterea improbantur novae musicae modulationes, plures sonos conferentis in unam syllabam [4].

Quod attinet ad crimen numerorum *ἀνὰ τὸ δωδεκαμήχανον* compositorum, hic fere eadem possis observare quae in caeteris Euripidis vitiis explicandis vidimus. Scilicet in metro quoque, veterum legum impatiens,

---

[1] In ultimis versibus respicitur locus Euripideae Hypsipyles sec. schol. "Conferatur Photii locus pag. 180, 12, unde probabile fit Hypsipylen cro-"talorum sonos cum cantu conjungentem fuisse introductam." Wagnerus, qui Fritschium sequitur. Cautius Nauckius: "Euripides quid dixerit e Photii loco non satis apparet." (Fragm. Eur. 769 Dind).

[2] Vs. 1309 sqq.; videantur quae de hoc cantico infra dicentur in recensione locorum ubi Aristophanes joculariter Euripidem imitatus est.

[3] *Ἀνὰ τὸ δωδεκαμήχανον Κυρήνης μελοποιῶν* vs. 1328. Vid. schol. Simul hic Euripideum ex Hypsipyle versum imitatur Aeschylus. Praeterea conf. vs. 1308, ubi poeta procaciter innuit Euripidis Musam *αἰσχροποιεῖν*.

Quae in Agathonis mollitiem asperrime dicuntur initio Thesmophoriazusarum, huc etiam pertinent. Nam ille poeta tragicus simillimus erat Euripidis, neque aliam in dramatis faciendis viam inibat. Thesmoph. vs. 187 Euripides de eo dicit:

μόνος γὰρ ἂν λέξειας ἀξίως ἐμοῦ.

[4] Ad hanc novitatem ridendam conglutinatum est illud monstrum vocabuli: *εἰειειιειειλίσσετε*, vs. 1314; cf. etiam vs. 1348.

libertatem antehac incognitam sibi asseruit, stratisque viis relictis novas rhythmi formas fingere aggressus est, sed avibus parum secundis. Cantica ejus ex parvis versiculis constant [1], brevium plerumque syllabarum refertis [2], et frequentes metrorum permutationes continent; nec minus in dimensione singulorum metrorum interdum apparet mira licentiaeque vicina varietas numerorum, ut in illo novo schemate versus glyconei quod Ran. vs. 1322 ab Aeschylo excerpitur [3] et veluti portentum Dionyso notandum designatur.

---

[1] Brevitas et levitas in rhythmis comites ire solent. Aeschylus contra longissimis metris gaudebat, deducens cantica σχοινοτενῆ, ut utar vocabulo Pindarico (fragm. dithyr. 56).

[2] Creberrimi e. g. apud eum sunt versus dochmiaci in meras syllabas breves soluti; duos locos subjiciam in quibus complures ejusmodi versus deinceps leguntur:

Orest. vs. 149 sqq.:

κάταγε κάταγε πρόσιθ'
ἀτρέμας, ἀτρέμας ἴθι.
λόγον ἀπόδος ἐφ' ὅ τι
χρέος ἐμόλετέ ποτε.
χρόνια γὰρ πεσὼν
ὅδ' εὐνάζεται.

Quibus versus respondent 162 sqq.:

ἄδικος ἄδικα τότ' ἄρ'
ἔλακεν ἔλακεν ἀπό-
φονον ὅτ' ἐπὶ τρίποδι
Θέμιδος ἄρ' ἐδίκασε
φόνον ὁ Λοξίας
ἐμᾶς ματέρος.

Helen. vs. 694 sqq., unam productam syllabam si excipias, una et quadraginta breves continuantur:

ἐμὲ δὲ πατρίδος ἄπο
κακόποτμον ἀραίαν
ἔβαλε θεὸς ἀπό τε
πόλεος ἀπό τε σέθεν,
ὅτε μέλαθρα λέχεά τ'
ἔλιπον οὐ λιποῦσ'
ἐπ' αἰσχροῖς γάμοις.

Fortasse huc pertinet Thesmoph. vs. 913 sq., cf. infra in Catal. parod.

[3] Περίβαλλ' ὦ τέκνον ὠλένας, ut pro basi, legitime binis syllabis con-

De his tamen tunc demum possemus ferre aequum judicium, si minus ignari essemus modorum ad quos ejus carmina canerentur. Non enim dubitandum mihi videtur quin ex recens mutatis legibus musicis explicandum sit quicquid Euripides in metris molitus est novi [1]. Sic autem devenio in terram salebrosam et caliginosam, per cujus semitas parum calcatas ego vestigia ferre non conabor. De re longe obscurissima tacere quam imperite loqui satius duco, non difficulter, ut spero, veniam impetraturus, si meum tirocinium materiem suscipere veretur, ad quam bene tractandam vix et ne vix quidem summa eruditio sufficiat. Unum habeo quod hic observem, Aristophanem non minorem vim tribuisse musicae in civibus educandis quam Platonem, qui negabat mutari posse musicas leges sine mutatione legum publicarum [2]. Bene hoc liquet ex praeclara illa Justi λόγου oratione in Nubium fabula, ubi inter ea quibus antiquorum hominum educatio praestabat recenti, etiam musica severioribus regulis adstricta recensetur ἦν οἱ πατέρες παρέδωκαν (vs. 969 sqq.), quum κάμπτειν τινὰ καμπὴν uno tenore dicatur cum τῷ βωμολοχεύεσθαι. Unice placebat comico simplex illa austeritas priscorum modorum, qui subserviebant sententiae neque alium praebebant usum quam

---

stante, anapaestus ponatur: ∪∪—,—∪∪—,∪—. Cf. G. Hermannus in libro de Metris Gr. et Rom. luculenter de glyconeis numeris disputans, et vid. inprimis pag. 231 sq. In Elem. Doctr. Metr. eandem rem tractans inter alia scribit: "Euripides quo quaeque recentior est ejus fabula-"rum, tanto plus licentiae sibi indulsit" (pag. 523); vid. etiam hujus libri pag. 538 sq.

[1] G. Hermannus Proleg. ad Hecubam pag. 8: "Euripidis numeri, in "recentioribus potissimum tragoediis, gravitate veteris musicae per mira "modulationis artificia dissolutâ, in eam varietatem et licentiam diffluxe-"runt ut" etc. — Cf. Doctr. Metr. pag. 123 sq.

[2] Plat. Rep. IV, pag. 424 C: *εἶδος γὰρ καινὸν μουσικῆς μεταβάλλειν εὐλαβητέον, ὡς ἐν ὅλῳ κινδυνεύοντα· οὐδαμοῦ γὰρ κινοῦνται μουσικῆς τρόποι ἄνευ πολιτικῶν νόμων τῶν μεγίστων, ὥς φησι Δάμων καὶ ἐγω* (Socrates) *πείθομαι.*

ut verbis adderent pondus [1]; quum recentior ars, auribus mulcendis maxime intenta, inverso ordine, verba cogeret sonis famulari, et modulationibus gaudens dulcibus, incitatis, affectus plenis, poetarum dicta iis accommodaret, ita ut saepe in una syllaba conglomerarentur plures soni, aut etiam verba duplicarentur [2] quo rotundior evaderet periodus musica.

Monodias quoque, quas Euripides (magno ut videtur talium carminum ductus amore) fabulis inseruit non paucas, comicus in jocum vertit. Ran. vs. 939 sqq.

---

[1] Quod Plato Rep. III, pag. 400 A vocat *τὸν πόδα τῷ λόγῳ ἀναγκάζειν ἕπεσθαι καὶ τὸ μέλος, ἀλλὰ μὴ λόγον ποδί τε καὶ μέλει*, hanc tantummodo musicam artem putans ferri posse in urbe cui fortes alere cives curae sit.

[2] In parodia de qua mox videbimus monodiarum Euripidearum saepius duplicantur verba, Ran. vs. 1337, 1352, 1353, 1354, 1355. Nusquam apud Euripidem tam crebrae vocum geminationes occurrunt quam in canticis Helenae fabulae, alternatis inter Helenam et Menelaum vs. 648 sqq. (648, 650*bis*, 664, 670, 682, 684). Videantur etiam hi ex Hecuba versus (688 sqq.):

ἄπιστ' ἄπιστα καινὰ καινὰ δέρκομαι,
ἕτερα δ' ἀφ' ἑτέρων κακὰ κακῶν κυρεῖ.
οὐδέποτ' ἀστένακτος ἀδάκρυτος ἀ-
μέρα 'πισχήσει.
δεῖν' ὦ τάλαινα, δεινὰ πάσχομεν κακά.
ὦ τέκνον, τέκνον ταλαίνας ματρός,
τίνι μόρῳ θνήσκεις; τίνι πότμῳ κεῖσαι;
πρὸς τίνος ἀνθρώπων;

Frustra sunt, me quidem judice, qui in his vocabulorum conduplicationibus aliquid moesti et flebile quaerunt, vel ut cum grammaticis loquar, *schetliasmo* eas deberi contendunt. Etenim non tanta est plerumque sententiae *δεινότης* ut ista explicatio possit recipi. Ego nullus dubito quin hac quoque in parte ad modos musicos referenda sint omnia.

Gaudeo me hanc opinionem tueri posse auctoritate viri docti Lehrs, qui in Epimetris subjectis libro de Aristarchi studiis Homericis, pag. 475 editionis anni 1865, eandem sententiam his verbis exprimit: "Wie sehr das "Musikalische mitspielt, das empfindet man besonders an Stellen wo es "nicht gescheut worden wenn diese Wiederholung selbst auf ein Wort un- "bedeutsamen Sinnes trifft, wie jenes *ἰδάην ἰδάην* Phoeniss. 680, *ἄλλος* "*ἄλλος* daselbst 132." — Meliora tamen exempla potuisset eligere; nam Phoeniss. vs. 681 *βᾶθι βᾶθι* legitur, et illud *ἄλλος ἄλλος* non in cantico sed in diverbio occurrit.

Euripides narrat se tragoediam, quam tumidam ab Aeschylo acceperat, primo extenuasse, deinde per monodias rursus opimiori formae restituisse, "admixto Cephisophonte." Scilicet idem verna (vel discipulus ingenuis natalibus, ut nonnulli putaverunt, negantes servile hoc nomen esse [1],) quocum uxorem ejus commercium habere rumor erat, in canticis componendis Euripidi operam navare ferebatur [2]; quod utrum aliqua ex parte verum an fuerit merum commentum, nunc quis dicat!

Monodiarum Euripidearum salsam imitationem legimus Ran. vs. 1330 sqq. [3], in qua peculiaria tragici vitia, vocabulorum repetitiones, sermonis magnificentia rerum tenuitati saepe parum respondens, et id genus plura, plane eodem modo ridentur ab Aeschylo quo prius chori cantica, ut vidimus. Quae de illa festivissima parodia

---

[1] Biogr. Eur. I dicit eum fuisse *οἰκογενὲς μειράκιον* Euripidis, et cum heri uxore illicitam consuetudinem habuisse. Affert hos versus Aristophaneos (e Gerytade sec. Dindorfium):

Κηφισοφῶν ἄριστε καὶ μελάντατε,
σὺ δὴ ξυνέζης ὡς τὰ πόλλ' Εὐριπίδῃ,
καὶ ξυνεποίεις, ὥς φασι, τὴν μελῳδίαν.

Aliter K. O. Müller, Gr. Liter. gesch., II, pag. 154, Cephisophontem vocans "den Hauptschauspieler des Euripides, der in den Monodieën seine "ganze Stärke zeigte."

[2] Praeter locum in praecedenti annotatione citatum vid. Ran. vs. 1407 sqq., ubi admodum contumeliose Aeschylus in fine longi certaminis poetici haec dicit:

καὶ μηκέτ' ἔμοιγε κατ' ἔπος, ἀλλ' ἐς τὸν σταθμὸν
αὐτός, τὰ παιδί', ἡ γυνή, Κηφισοφῶν,
ἐμβὰς καθήσθω συλλαβὼν τὰ βιβλία.

Versus 1452 sq. afferre nolo, quippe quos Aristarchus spurios judicarit. (In altera Ranarum recensione lectos fuisse putat J. Stanger, Ueber Umarbeitung einiger ar. Komödien.) Caeterum, quisquis ejus distichi auctor est, alludit et ille ad auxilium quo Cephisophon Euripidem in opere tragico adjuvare ferebatur. — In Acharnensibus *θυρωρεῖ* Euripidi, a quo se aliquem sapientiae colorem traxisse ostendit dictis suis eruditis, ut supra pag. 54 sq. vidimus.

[3] Apud Athenaeum VIII pag. 342b etiam imitationem monodiae Euripideae legi opinor, ex Axionici Phileuripide.

habeo dicenda, infra in catalogo versuum Euripideorum ab Aristophane *πεπαρῳδημένων* legi possunt. Denique huc pertinet Ranar. vs. 849, ubi Aeschylus bilem in Euripidem effundens inter alia dicit eum *Κρητικὰς συλλέγειν μονῳδίας*. Hic versus olim minus recte intelligebatur, quum adjectivum *Κρητικὰς* referrent ad materiem ab Euripide tractatam in fabula Cretensibus aut Cressis. Fritschius vero attulit Athenaei locum V pag. 181b [1], et inde docuit hic designari cantica quae ab eodem actore et cantentur et saltentur, qualia *ὑπορχήματα* a Cretensibus esse inventa testatur Athenaeus l.l., quum antiquitus ea lex in scena tragica valeret ut alius caneret, alius ad ejus verba saltaret, et in choris quoque altera choreutarum pars cantum, altera saltationem perageret. Pro exemplis talium *ὑπορχημάτων* citantur Orestis vs. 982 sqq., 1369 sqq., Phoeniss. vs. 301 sqq.

Certum et non mirandum est, Euripidem valde dilexisse monodias, quas pulcherrimas saepe composuit [2], modo ne ea trutina examines qua comicus, neque profecto injuria, tragoedias perpendere solebat. In iis quoque genus canendi apparet molle et flebile, parum saepe virile, interdum paene languidum, et iis blandimentis metricis musicisque ornatum, quae, ab antiqua severaque sobrietate prorsus aliena, contumeliose ab Aristophane vocantur *μύρμηκος ἀτραποί* [3]. Caeterum quae de metris variatis deque novatis musicae legibus (parcius quam volueram) observavi, ad monodias non minus pertinent quam ad chorica *μέλη*, nec bis juvat dicere eadem. Unum tamen est quod cum plane sit singulare, silentio non praetereundum: monodia (Androm. vs. 103—116)

[1] *Τοῖς μὲν οὖν Κρησὶν ἡ τε ὄρχησις ἐπιχώριος καὶ τὸ κυβιστᾶν - - - ὅθεν καὶ κρητικὰ καλοῦσι τὰ ὑπορχήματα.*

[2] Vetus biographus in proleg. ad Euripidem (Dind. III): *τοῖς μέλεσίν ἐστιν ἀμίμητος, παραγκωνιζόμενος τοὺς μελοποιοὺς σχεδὸν πάντας.*

[3] Thesmoph. vs. 100.

ab Euripide elegiacis versibus expressa, cujus rei, quantum scimus, nemo ante eum auctor extiterat, neque post eum quisquam videtur illud metrum tragicae scenae adhibuisse.

In iambis denique Euripides idem novitatis studium ostendit quod alibi, aegre, ut videtur, ferente Aristophane; difficile vero ex levibus modo vestigiis aliquid certi colligere. Vix enim ullum locum invenias ubi structura ejus trimetrorum ab Aristophane perstringatur nisi fortasse Thesmoph. vs. 913 sq. [1]. Hic autem mihi deprehendere videor satyricam imitationem iamborum solutorum quibus Euripides frequenter utitur. Scilicet quum versus Sophocleus fluat puro simillimus amni, mixtis inter iambos spondeis multis, sed non nisi caute et parce admissis pedibus trisyllabis, Euripides a severis patrum legibus hac quoque in parte adeo recessit ut, in posterioribus saltem fabulis [2], Oreste inprimis, permulti pedes trium syllabarum inveniantur, tribrachyes [3], dactyli [4], anapaesti [5].

Non est quod miremur hanc Euripidis libertatemne dicam an licentiam, cum ex eodem fonte fluxerit unde profecta sunt, si non omnia, at pleraque certe quae in eo reprehendi possunt et bilem commoverunt Aristophani. Euripides enim, qui potius quales erant depingebat homines quam *οἵους δεῖ*, et qui *οἰκεῖα πράγματα εἰςήγαγεν, οἷς χρώμεθ', οἷς ξύνεσμεν* [6], in verbis quoque ad vitam communem propius accedere studuit. Quod quantum fortasse confert ad exactam naturae imitationem, tantundem

---

[1] De hoc loco corrupto vid. infra in catalogo parodiarum pag. 144.

[2] Post Olympiadem LXXXIX.

[3] E. g. Orest. vs. 643:

ἃ δ' ἔλαβες ἀπόδος, πατρὸς ἐμοῦ λαβὼν πάρα.

[4] E. g. Orest. vs. 25:

ἢ πόσιν ἀπείρῳ περιβαλοῦσ' ὑφάσματι.

[5] De anapaestis Euripideis vid. G. Herm. prol. ad Hecubam et Elem. Doctr. Metr. pag. 119 sqq.

[6] Ranar. vs. 959.

tragicae dignitati detrahit. Nam revera non multum interest, utrum regibus pro purpurea chlamyde sordidum tribona induas, an eorum verba e tragoediae metro canoro gravique, quod sententias ornat nec nimis tamen arctis vinculis compescit, transferas in dissolutos comicae scenae numeros, qui quasi saltibus progredi et per aspera et densa ruere videntur, a sermone quotidiano parum distantes. Hic quoque Euripidem monere velles: aut ne ostende nobis semideos, aut ita loquantur ut ex eorum sermone dicendique modo agnoscamus non de plebe homunculos, sed Jovi prolem non infitiandam [1].

[1] Partim joculariter sua sesquipedalia verba defendens, partim seria agens, Aeschylus Ranar. vs. 1058 sqq. ita loquitur:

ἀλλ' ὦ κακόδαιμον, ἀνάγκη
μεγάλων γνωμῶν καὶ διανοιῶν ἴσα καὶ τὰ ῥήματα τίκτειν.
κἄλλως εἰκὸς τοὺς ἡμιθέους τοῖς ῥήμασι μείζοσι χρῆσθαι,
καὶ γὰρ τοῖς ἱματίοις ἡμῶν χρῶνται πολὺ σεμνοτέροισιν. —

"Nirgend war die scharfe Kritik der Komödie besser berechtigt, nirgend "wurde das antike Ohr empfindlicher verletzt." Bernhard. l.l. pag. 416.

CAPUT X.

DE PARODIA LOCORUM EURIPIDEORUM APUD ARISTOPHANEM.

Loca ex Aristophanis comoediis, unde quid senserit de Euripide vel apparet vel quodammodo colligi potest, nunc omnia fere a me commemorata puto. Sunt praeterea permulta alia ubi ad Euripideos versus alluditur per parodiam. Jam vero cavendum est ne in parodia semper inesse vituperationem existimemus; ego non dubito quin ex Euripidis versibus quos in ridiculum detorsit comicus [1] multos non magis vitiosos habuerit quam Homericam e. g. narrationem de Ulixis fuga ex antro Polyphemi, cujus faceta imitatio invenitur Vesparum vs. 179—186; aut Herodoti Persicum bellum descripturi praefationem, ubi recensentur causae odii inter Europam Asiamque ferventis, ad quam effictus est jocularis ille apologus de origine belli Peloponnesiaci, qui legitur Acharn. vs. 524 sqq. [2]. Quin interdum in honorem potius quam in contumeliam accipienda est parodia. Certe tragicus aegre ferre non potuit, quod Aristophanes, ubi multis jocis solutis seria miscet, ad pacem suadendam (Lysistr. vs. 1124—1135) uteretur verbis ex Euripidis Melanippe et Erechtheo desumtis.

Ipsa autem parodia apta est ad risum movendum.

[1] Exempli loco nominasse sufficiat pulchrum illud Phaedrae canticum, veri tenerique affectus plenum, quod imitatur in Vespis senex delirus a judicialibus subselliis seclusus

[2] Alia loci Herodotei parodia occurrit in Avibus, ubi in enarranda Nubilicuculiae structura respicitur nota descriptio murorum Babyloniorum, referta mensuris ad amussim definitis.

Habet enim nescio quid voluptatis, si serio dicta convertuntur in sensum ludicrum, quemadmodum delectari solemus notum si callida verbum reddiderit junctura novum [1]. Quod autem Euripidem longe saepius παρῳδεῖ comicus quam reliquos cunctos poetas, id fortasse non ideo magis fecit quod eum prae reliquis ridendi copiam dare censeret, quam quod ejus dramata omnium multo essent notissima, ut quicquid ad ea alluderetur facillime posset intelligi [2]. Et hac quidem in re, si usquam alibi, admiror sagacitatem natumque ad literas ingenium hominum Atticorum [3]; ut enim tam crebrae versuum tragicorum imitationes placerent, necesse erat non minus spectatorum quam ipsius poetae comici animo obversarentur ea loca saepe vix notabilia et difficilia agnitu; nam ne loquar de mustela e fluctibus emergente, quae tantos movit cachinnos [4], vel de lingua Hippolyti jurante ἰδίᾳ τῆς φρενός [5], qualia sermone populi recepta abierant in proverbium [6] neminique ergo ignota esse poterant, — at permultis locis Aristophaneis versus Euripidis tanguntur nihil peculiare habentes quo haererent audientium memoriae. Si cum istis tam emunctae naris spectatoribus comparamus hodiernos homines, nostrum saeculum pristinae aetati mirum quantum cedere fatendum est. Non stare posset fabula quo vivimus tempore in qua tot joci eruditi occurrerent; aequales nostri ut rideant plaudantque plane alios sales postulant.

Sed haec hactenus. Loca Euripidea, quae Aristophanes

---

[1] Horat. ad Pisones vs. 47.

[2] Cf. Ran. vs. 1109 sqq.

[3] Cf. Bernhard. l. l. pag. 127 et 600 sq.

[4] Orest. vs. 279, Ran. vs. 304.

[5] Hipp. vs. 612, Thesmoph. vs. 276, Ran. vs. 102 et 1471.

[6] Vid. e g. Socratis in Platonis Convivio verba pag. 199 A: ἡ γλῶττα οὖν ὑπέσχετο, ἡ δὲ φρὴν οὔ.

παρῳδῶν respexit vel respexisse videtur, pro mea divinatione collecta et in ordinem redacta, huic specimini corollarii vice subjiciam. Nunc tantum superest, ut paucis verbis summatim comprehendam quae de singulis criminibus, Euripidi a comico objectis, hucusque arbitratus sum. Vere Aristophanes censuit Euripidem ea via procedere et secum trahere cives, quae duceret ad patriae interitum; neque immerito culpavit novitates, quibus Euripides se tragicae poesis splendorem augere existimabat; summo vero jure condemnavit ejus in scena philosophandi et diffuse sermocinandi studium, a tragoediae instituto plane alienum; hoc uno nomine iniquus, quod in eum, uti magnus Judaeorum sacerdos in hircum emissarium, quasi totius populi culpam congereret, non satis nempe discernens quid Euripidi et quid universae Atheniensium genti ipsique tempori esset imputandum [1].

Quod vero parum recte de suo aevo deque suae patriae conditione judicavit comicus, et παρ' ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδι πιστεύων, servata tenerae aetatis optima quaeque exspectandi consuetudine, ea quae fieri nequirent se peracturum credidit, nec desperavit quin remediis causticis sanaret illam νόσον ἀρχαίαν ἐν τῇ πόλει ἐντετοκυῖαν, et revocaret tempora Aeschyli, quemadmodum in Ranis hunc ipsum videmus e domo Plutonia redire ut Euripideam poesin e civitate removeat, — hoc lubenter ei condonamus; quin felicem praedicamus hominem Atticum ob tam laetam ingenuamque fiduciam; quali qui gaudet, nae ille securus ambulet super ipso montis ignivomi cratere [2].

---

[1] "Ihm selbst gibt er Schuld, was in der Zeit Geistesverwandtes umlief." Bernh. l.l. pag. 396.

K. O. Müller, Gr. Lit. gesch. II, pag. 249: "sicher hat Aristophanes darin Unrecht, dass er dem Euripides einen persönlichen Vorwurf aus einer Richtung macht welche die ganze Zeit mit unwiderstehlicher Gewalt ergriffen hatte."

[2] Praeclare Bernhardius l.l. pag. 630: "Man mag daher entschuldigen "dass er dem Wahn treu blieb, als ob Athen bloss vorübergehend an Sit-

Quae quum ita sint, cavendum erit ne nimis offendamur cruda et aspera maledicentia, qua identidem Eŭripidem lacessit comicus; cavendum ne stomachum nobis concitante illa lasciva et paene pudoris experte dicacitate, amari corticis causa dulcem quoque nucem aspernemur [1], et subtilissimum nasuti censoris judicium respuamus, quia jocis haud raro scurrilibus vel etiam obscoenis contineatur. Nam verum est quod Aristophanes ipse jactavit: *τὸ δίκαιον οἶδε καὶ τρυγῳδία* [2], et facile ei concedimus quod a spectatoribus sibi aliquando, jure meritoque ut ego opinor, precatus est:

σμικρὸν δ' ὑποθέσθαι τοῖς κριταῖσι βούλομαι·
τοῖς σοφοῖς μέν, τῶν σοφῶν μεμνημένους κρίνειν ἐμέ,
τοῖς γελῶσι δ' ἡδέως, διὰ τὸ γελᾶν κρίνειν ἐμέ [3].

"tenverderb kränkle, dass er unfähig in Untiefen zu blicken nicht einsah "wie sehr der innerste Grund des Staats morsch geworden, und die Ge- "sellschaft keiner Wiedergeburt fähig, sondern von unheilbaren Schäden "angegriffen, von allen vaterländischen Traditionen abgewichen und un- "bewusst von neuen Anschauungen umfangen war. Er verkannte daher "die plötzlich eingebrochenen Neuerungen und Gegensätze, vielleicht weil "er dort mehr Leichtsinn als eingewurzelte Laster fand; alsdann war der "Wahn erlaubt, ein so begabtes, noch vor Jahrzehnten gesundes Volk "könne durch lächerliche Bilder und scharfen Spott, mit kräftigem Zu- "spruch gemischt, aus dem wüsten Rausch gerüttelt werden."

[1] Quod accidit e. g. Barnesio, e tripode sic pronuncianti: "qui in Aristo- "phanis conviciis veritatem putat ullam esse, frustra est." (Vit. Eur. cap. 4.) Immo *παρὰ τοῖς κωμικοῖς*, ut verissime scripsit Athenaeus I, pag. 21e, *ἡ περὶ τῶν τραγικῶν ἀπόκειται πίστις.*

[2] Acharn. vs. 500.

[3] Eccles. vs. 1154 sqq.

CAPUT ULTIMUM.

Priusquam meae scriptioni finem faciam, operae pretium videtur breviter exponere, quae virorum doctorum de criminibus, ab Aristophane intentatis Euripidi, variis temporibus fuerint opiniones. Huic profecto non usu venit ut posteri exiguam ejus odii poetici rationem haberent; permulti enim sunt libri majoris minorisque molis et momenti, sive de hac materie in universum sive de aliqua ejus parte vel etiam minutissima particula agentes. Mihi vero si omnia ea scripta vel inspiciendi facultas vel perlegendi contingeret otium, non meae esset aut aetatis aut imperitiae tot lucubrationes virorum doctorum rite excutere eorumque sententias ad lapidem Lydium explorare; praeterea timerem ne si quam de meo habeo opinionem, ea sub tanto alienae eruditionis monte opprimeretur; hic enim si usquam valet querela, quam Bernhardius, non segnis tamen librorum cum veterum tum recentiorum scrutator, praemisit ultimo volumini suae historiae literariae (edit. 3): "quum antea mediocris li-"brorum copia sufficeret, nunc scripta de specialibus ar-"chaeologiae partibus se cumularunt et in dies se cumulare "pergunt; sed pauci erunt qui tantis divitiis vere frui et "gaudere possint." Neque eum temere ita queri apparet ex magno numero librorum quos citat in tractandis singulis quaestionibus, perquam saepe tenuibus et tantum non omni gravitate carentibus, quum praesertim longe etiam plures silentio transierit [1].

[1] Scite etiam Dindorf. proleg. Poet. Scenic. pag. 15: "infinitae sunt "recentiorum .... disputationes et opiniones diversissimae, quibus omnibus "perlegendis qui ad studia Sophoclea [dicamus studia scenica] praeparare se

Ne tamen de argumenti, quod in hoc specimine tractavi, historia literaria omnino taceam, pauca huc pertinentia cursim et veluti obiter subjungam, quae si benevolus lector a sterilitate parum abesse arbitretur, ego pedibus eo in ejus sententiam; quare et ipse, huic operis mei parti subirascens, numeri titulique honorem ei inviderim simpliciterque appellarim caput *ultimum*.

At nonnullos certe commemorare lubet viros primarios in literarum republica qui de hac re scripserunt. Inter antiquissimos post renatas literas est referendus Beroaldus, acerrimus ille Euripidis obtrectator, adversus quem tragici causam tuitus est Sabinus [1]. Postea in eo defendendo atque laudando nemo se praestitit tam strenuum quam Barnesius [2], qui si ingenii acumine non minus polluisset quam vasta sed indigesta scientia, majori usui esset ejus dramatum Euripideorum editio. Hic nihil non in Euripide admiratur, nihil non false et maligne in eum a comico dictum censet, argumentis saepe ex theologia christiana petitis, ut subinde dicas eum non de veteris poetae operibus sed de aequalis cujusdam Angli homiliis agere. Hunc qui longe superavit Valckenarius, vir fama et eruditione nemini secundus, quum plerisque in partibus eum impugnaret et refelleret, id unum tamen cum Anglo commune habuit quod Euripidem singulari veneratione coleret et "christianae religioni affinem" existimaret, Aristophanis autem judicio vix quicquam tribueret, a quo qui "turpiter in scena violaretur, Euripides si quis alius praeter Socratem, indignissimus" ei videbatur [3]. Prologos tamen Euripideos in patrocinium non recepit et Sophoclis exordiis multum posthabuit.

"velit, sero ad ipsarum tragoediarum lectionem perveniet, dissimilis Athe-"niensibus veteribus, qui nullis hujusmodi laboribus exantlatis tragicorum "fabulas in theatro non solum spectabant sed etiam intelligebant."

[1] Franc. Flor. Sabini Lect. subcisiv. II, cap. 13.

[2] Euripidis quae extant etc., opera I. Barnes, Cant. 1694.

[3] Diatr. pag. 46 C.

Vix alia sententia audiebatur eo tempore. Nostrum vero saeculum, ut in aliis disciplinis, sic etiam in antiquarum literarum studio multas veteres opiniones delevit et novas protulit in lucem, prioribus saepe e regione oppositas. De Euripide quoque subnata sunt judicia prorsus diversa, quem quum antea sine epithetis reverentiam admirationemque testantibus appellare nefas esset visum, recentiore tempore viri docti despicere et conculcare coeperunt, in quo alter saepe aemulatus est alteri: *πάντες ἤρειδον εἰς Ὑπέρβολον.* E multis nominasse sufficiat Schlegelium [1], Wielandum, Bunsenum [2], Gruppium [3], nec multo his clementiorem G. Hermannum, qui vel unam de Sophoclis deperditis fabulis non nimis care redemtam fore cunctarum Euripidearum jactura, alicubi autumavit, etsi Goethii Iphigeniam cum Euripidea comparans recentem antiquae tragoediae cedere censuit [4], parilemque sententiam tulit de Schlegelii dramate Ione, cum Euripidis fabula ejusdem nominis collato. Nempe idem faciebant hi severi judices quod fecerat Aristophanes: ad normam scenae Aeschyleae Sophocleaeque exigebant Euripidis dramata, improbantes et condemnantes quicquid ad eam non quadraret et vel digitum inde discederet. Mox aequior tamen rursus invaluit judicandi ratio, quam jam commendarat Lessingius, praeeunte Goethio, quorum agminis instar uterque. Quin extitit Barnesius alter, Hartungius, qui scilicet "restituit Euripidem" [5], nihil non in eo nitere contendens. Non absimilia sunt studia Pflugkii, qui in sua Euripidis editione passim tragicum contra comicum antagonistam defendit.

---

[1] A. W. von Schlegel, Vorlesungen über dramat. Kunst und Litteratur. Vid. inprimis caput V, editionis alt. pag. 198—268.

[2] In opere "Gott in der Geschichte."

[3] In Ariadne passim.

[4] Vid. proleg. ad Iphig. Tauricam.

[5] J. A. Hartung, Euripides restitutus, Hamb. 1843.

Quum vero plerique, qui Euripidi aut patrocinati aut adversati sunt, potius ab opinionibus praejudicatis proficiscerentur quam res ipsas earumque causas investigarent, denique "de vita et poesi Euripidis, post immemorabiles aliorum conatus, primus doctius et intelligentius disputavit G. Bernhardyus in historia literaturae Graecae vol. II part. 2 pag. 348—444" [383—506 editionis tertiae] [1]. Hic autem medium quoddam tenuit iter, quod quin unice ducat ad veram sententiam nullus dubito. Dum enim fatetur Aristophanem nihil calumniose vel etiam injuste de Euripide dixisse [2], simul tamen intellexit non opus esse ut, comico quamvis assentiare, ideo tragicum fastidiose contemnas, sed Euripideae quoque arti suam nec mediocrem constare laudem, dummodo ne judicetur secundum easdem leges quas applicuit comicus [3].

Nec silentio praetereundus Mommsenus, qui in fine primi voluminis suae Historiae Romanae breviter de Euripide exposuit, sed perquam docte et perspicue, hic quoque Aristophaneae sententiae adjecto calculo.

Germanis auctoribus adjungere juvat nostratem Petrum van Limburg Brouwer [4], qui nonnullis abhinc decenniis edidit libellum de poesi Euripidea, satis elegantem et nunc quoque, quantumvis inveteraverit, lectu non indignum; magnus caeteroquin Euripidis admirator, in quo

---

[1] Dindorf. Poet. Scen. proleg. ad Eurip. pag. 19.

[2] "Aristophanes hatte schon alle wesentlichen Punkte der Polemik er-"griffen... Er ist in seinem Recht sobald er die Forderungen des reinen "Geschmacks und der organischen Poesie gegen die Ketzereien des Euri-"pides kehrt." (Pag. 395.)

[3] "Es wäre verkehrt und unbillig den antiken Massstab anzulegen" etc. (Pag. 389.)

[4] *Proeve over de zedelijke schoonheid der poëzij van Euripides*, 1833. Maxima hujus libri pars ab auctore postea transfusa est in opus majus, quo egit de Graecorum moribus et literis, Gallica usus lingua: *Histoire de la civilisation des Grecs.*

interdum et ea laudavit quae vix vituperatione vel νοθείας suspicione exemta videantur. Idem tamen de Aristophane, ex aequo et vero, haec scripsit: "Nemo "Euripidem magis notum habuit meliusque judicavit "quam civis et aequalis ejus Aristophanes. Magnus ille "comicus, qui non minus poeta erat palmarius quam "subacti vir ingenii et verae elegantiae sensu imbutus, "tam egregie notavit lapsum artis tragicae et vitia Eu- "ripidi propria, ejus sententias et digressiones philoso- "phicas, ejus eloquium justo mollius, ejus studium au- "gendi mendis corporeis aliisque rebus externis effectum "tragicum, quin etiam effeminatum rhythmi ejus tenorem, "praesertim in Ranis, ut dicteria temere ab eo sparsa "dignissimam praebeant materiem de qua data opera "inquiratur et disputetur" [1].

In hac autem materie tractanda me Euripidi non pepercisse fateor; sed cur mihi non liceret libere indicare quaecunque in celeberrimo tragico non levibus de causis culpanda putarem, modo id facerem, ut fecisse me spero, sine felle et sine arrogantia? Falli tamen potui, et in disquisitione tam late patente, totque et tantarum plena difficultatum, multum abest ut me scopum semper tetigisse confidam: quare a benevolo lectore peto et oro ut comiter ignoscat meis erroribus, et hoc opus juvenile aequi bonique consulat.

[1] L. l. pag. 19 in annotatione.

LOCA EX ARISTOPHANE VERSUUM EURIPIDEORUM PARODIAM CONTINENTIA [1].

Acharn. vs. 7 sq.:

φιλῶ τοὺς ἱππέας
διὰ τοῦτο τοὔργον· ἄξιον γὰρ Ἑλλάδι.

Secundum schol. ultima verba sumta sunt ex Euripidis Telepho, ubi hunc versum occurrisse dicit:

\ κακῶς ὀλοίατ'· ἄξιον γὰρ Ἑλλάδι.

(Fragm. Eur. 718 Dind.)

Ibid. vs. 119:

ὦ θερμόβουλον πρωκτὸν ἐξυρημένε.

Schol. ex Euripidis Medea affert versum: ὦ θερμόβουλον σπλάγχνον. Non tamen ejusmodi dictum in ea fabula invenitur.

(Fragm. 852 Dind.)

Ibid. vs. 440:

δεῖ γάρ με δόξαι πτωχὸν εἶναι τήμερον,
εἶναι μὲν ὅσπερ εἰμί, φαίνεσθαι δὲ μή.

Hi duo versus, teste schol., e Telepho sumti sunt; prioris tamen exitus tragicorum legibus metricis repugnat.

(Fragm. 699 Dind.)

Ibid. vs. 446:

εὐδαιμονοίης· Τηλέφῳ δ' ἀγὼ φρονῶ.

Schol.: παρὰ τὰ ἐκ Τηλέφου Εὐριπίδου·

καλῶς ἔχοιμι· Τηλέφῳ δ' ἀγὼ φρονῶ.

(Fragm. 702 Dind.)

Ibid. vs. 454:

τί δ', ὦ τάλας, σὲ τοῦδ' ἔχει πλέκους χρέος;

---

[1] Editioni Acharnensium, quae prodiit cura W. Ribbeckii (Lips. 1864) subjunctus est appendix (p. 267—326), ubi agitur *de parodiis dramaticis apud Atticos comicos*. Quid mihi cum eo conveniat et quid discrepem, singulis locis, ne taedium parerem, indicare praetermisi; facile autem perspiciet benevolus lector, si tanti videbitur ambos catalogos inter se comparare.

In hoc versu schol. agnoscit imitationem loci ex Euripidis Telepho:

τί δ', ὦ τάλας; σὺ τῷδε πείθεσθαί με λῇς;
(Fragm. 714 Dind.)

Acharn. vs. 471:

καὶ γάρ εἰμ' ἄγαν
ὀχληρός, οὐ δοκῶν με κοιράνους στυγεῖν.

Schol.: ἀσήμως πεπαρῴδηται ex Oeneo Euripidis.
(Fragm. 572 Dind.)

Ibid. vs. 479:

κλῇε πηκτὰ δωμάτων.

Hoc hemistichium fortasse adumbratum est ad Euripidis versum servatum apud Pollucem On. X 27: λῦε πακτὰ δωμάτων: quae verba, ut etiam Acharn. vs. 449 ἄπελθε λαΐνων σταθμῶν, Hartungius conjecit ex Telepho esse petita.

Ibid. vs. 496 sqq.:

μή μοι φθονήσητ', ἄνδρες οἱ θεώμενοι,
εἰ πτωχὸς ὢν ἔπειτ' ἐν Ἀθηναίοις λέγειν
μέλλω περὶ τῆς πόλεως etc.

Ex Euripidis Telepho sec. schol.:

μή μοι φθονήσητ', ἄνδρες Ἑλλήνων ἄκροι,
εἰ πτωχὸς ὢν τέτληκ' ἐν ἐσθλοῖσιν λέγειν.
(Fragm. 701 Dind.)

Ibid. vs. 540:

ἐρεῖ τις, οὐ χρῆν· ἀλλὰ τί ἐχρῆν εἰπατε.

Ex Telepho decerptus hic versus est, teste schol. Item vs. 543.
(Fragm. 707 et 710 Dind.)

Ibid. vs. 555 sq.:

ταῦτ' οἶδ' ὅτι ἂν ἐδρᾶτε· τὸν δὲ Τήλεφον
οὐκ οἰόμεσθα; νοῦς ἄρ' ἡμῖν οὐκ ἔνι.

Ex Telepho sumta sunt verba τὸν δὲ T. κτἑ., testé schol.; distichi finis legibus tragoediae metricis non respondet; suntne igitur haec verba Aristophanis?
(Fragm. 711 Dind.)

Ibid. vs. 576 sq.:

οὐ γὰρ οὗτος ἄνθρωπος πάλαι
ἅπασαν ἡμῶν τὴν πόλιν κακορροθεῖ;

Schol. haec quoque ex Telepho petita esse affirmat.
(Fragm. 713 Dind.)

Ibid. vs. 659 sqq.:

πρὸς ταῦτα Κλέων καὶ παλαμάσθω
καὶ πᾶν ἐπ' ἐμοὶ τεκταινέσθω.
τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ καὶ τὸ δίκαιον
ξύμμαχον ἔσται, κοὐ μή ποθ' ἁλῶ
περὶ τὴν πόλιν ὤν, ὥσπερ ἐκεῖνος,
δειλὸς καὶ λακαταπύγων.

Haec imitationem continent loci Euripidei, apud Clementem Alex. sic exhibiti:

πρὸς ταῦθ' ὅ τι χρὴ καὶ παλαμάσθω
καὶ πᾶν ἐπ' ἐμοὶ τεκταινέσθω.
τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ
καὶ τὸ δίκαιον σύμμαχον ἔσται,
κοὐ μή ποθ' ἁλῶ κακὰ πράσσων.

Partem hujus loci citat Cic. ad Att. VIII, 8 (cf. VI, 1.)
(Fragm. 910 Dind.)

Ibid. vs. 893 sq. de anguilla Dicaeopolis ita loquitur:

μηδὲ γὰρ θανών ποτε
σοῦ χωρὶς εἶην ἐντετευτλανωμένης,

imitans verba ex Euripidis Alcestide, ubi Admetus sic de sua uxore (vs. 367 sq.):

μηδὲ γὰρ θανών ποτε
σοῦ χωρὶς εἶην, τῆς μόνης πιστῆς ἐμοί.

Equit. vs. 15:

πῶς ἂν σύ μοι λέξειας ἁμὲ χρὴ λέγειν;

Euripid. Hippol. vs. 345. — Similiter versus 80:

κράτιστον οὖν νῷν ἀποθανεῖν

conferendus est cum Hippol. vs. 401: καθανεῖν ἔδοξέ μοι κράτιστον.

Ibid. vs. 214:

τάραττε καὶ χόρδευ' ὁμοῦ τὰ πράγματα.

Schol.: παρῴδησε τὸν ἴαμβον ἐξ Ἡρακλειδῶν Εὐριπίδου. In ea tamen fabula talis versus non occurrit.
(Fragm. 847 Dind.)

Ibid. vs. 813:

ὦ πόλις Ἄργους, κλύεθ' οἷα λέγει.

Tria priora verba secundum schol. petita sunt ex Euripidis Telepho, tria ultima ex Medea (vs. 168). Sed quum idem versus occurrat in Pluto (601), multo verisimilius est non ex duobus locis Euripideis esse conflatum, sed integrum in aliqua

Euripidis tragoedia (Telepho) lectum fuisse, ut etiam schol. ad Plutum tradit. Sic etiam Elmslejus, Fritschius, Wagnerus.
(Fragm. 723 Dind.)

Equit. vs. 1240 Cleon-Paphlago in re desperata hoc versu ex Euripidis Telepho utitur:

ὦ Φοῖβ' Ἄπολλον Λύκιε, τί ποτέ μ' ἐργάσει;
(Fragm. 705 Dind.)

Ibid. vs. 1249:

κυλίνδετ' εἴσω τόνδε τὸν δυσδαίμονα.

Ex Bellerophonte hic versus esse dicitur a schol., nisi quod Euripides scripsisset κομίζετ'. (Fragm. 312 Dind.) Verisimile est praecedentem quoque versum

οἴμοι, πέπρακται τοῦ θεοῦ τὸ θέσφατον,

qui etiam plane tragicum habet colorem, ex eadem tragoedia esse sumtum.

Ibid. vs. 1250 sqq. sic Cleon-Paphlago alloquitur suam coronam quam victus a macellario deponit:

ὦ στέφανε, χαίρων ἄπιθι, κεῖ σ' ἄκων ἐγὼ
λείπω· σὲ δ' ἄλλος τις λαβὼν κεκτήσεται,
κλέπτης μὲν οὐκ ἂν μᾶλλον, εὐτυχὴς δ' ἴσως.

Imitatur poeta verba Euripidis, in cujus Alcestide nuncius refert, heroinam jamjam morituram tali modo torum jugalem esse affatam (vs. 177 sqq.):

ὦ λέκτρον, ἔνθα παρθένει' ἔλυσ' ἐγὼ
κορεύματ' ἐκ τοῦδ' ἀνδρός, οὗ θνήσκω πέρι,
χαῖρ' κτέ.
- - - σὲ δ' ἄλλη τις γυνὴ κεκτήσεται,
σώφρων μὲν οὐκ ἂν μᾶλλον, εὐτυχὴς δ' ἴσως.

Ibid. vs. 1290 sqq.:

ἦ πολλάκις ἐννυχίαισι
φροντίσι συγγεγένημαι,
καὶ διεζήτηχ' ὁπόθεν ποτὲ φαύλως ἐσθίει Κλεώνυμος.

In re ludicra respicit verba Phaedrae, Hippol. vs. 375 sq.:

ἤδη ποτ' ἄλλως νυκτὸς ἐν μακρῷ χρόνῳ
θνητῶν ἐφρόντισ' ᾗ διέφθαρται βίος.

Conf. Ran. vs. 931, Lysistr. vs. 26 sq.

Ibid. vs. 1302 triremis, longa vetustate putris et rimosa, sic dicitur sorores allocuta esse:

οὐδὲ πυνθάνεσθε ταῦτ', ὦ παρθένοι, τὰν τῇ πόλει; etc.
Quem versum petitum esse ex Euripidis Alcmaeone, auctor est scholiasta.

(Fragm. 67 Dind.)

Nubium vs. 30:

ἄταρ τί χρέος ἔβα με μετὰ τὸν Πασίαν;

Secundum schol. alluditur ad quendam locum Euripidis:

τί χρέος ἔβα δῶμα;

(Fragm. 1000 Dind.)

Ibid. vs. 42:

εἶθ' ὤφελ' ἡ προμνήστρι' ἀπολέσθαι κακῶς, etc.

Recte fortasse scholiasta confert Medeae Euripideae initium:

εἶθ' ὤφελ' Ἀργοῦς μὴ διαπτάσθαι σκάφος etc.

Ibid. vs. 891 sic injustus λόγος justum alloquitur:

ἴθ' ὅποι χρῄζεις· πολὺ γὰρ μᾶλλόν σ'
ἐν τοῖς πολλοῖσι λέγων ἀπολῶ.

Quae, si fides scholiastae, imitando expressa sunt ad hos in Euripidis Telepho anapaestos:

ἴθ' ὅποι χρῄζεις· οὐκ ἀπολοῦμαι
τῆς σῆς Ἑλένης οὕνεκα.

(Fragm. 721 Dind.)

Ibid. vs. 1154 sq.:

βοάσομαί τἄρα τὰν ὑπέρτονον
βοάν· ἰώ, κλάετ' ὠβολοστάται.

Scholiasta haec sumta dicit ex Euripidis Peleo, ibique sic lectum fuisse:

βοάσομαί τἄρα τὰν ὑπέρτονον
βοάν· ἰώ, πύλαισιν ἤ τις ἐν δόμοις;

(Fragm. 625a Dind.)

Ibid. vs. 1165:

ὦ τέκνον, ὦ παῖ, ἔξελθ' οἴκων,
ἄϊε σοῦ πατρός.

Schol. Codicis Leidensis citat versum ex Hecuba 173:

ὦ παῖ, παῖ, [Πολυξένη δηλονότι] ἔξελθ', ἔξελθ' οἴκων,

parum accurate tamen, cum apud Euripidem legatur:

ὦ τέκνον, ὦ παῖ
δυστανοτάτας ματέρος, ἔξελθ',
ἔξελθ' οἴκων, ἄϊε ματέρος
αὐδάν.

Nub. vs. 1397 sic chorus Phidippidem alloquitur:

σὸν ἔργον, ὦ καινῶν ἐπῶν κινητὰ καὶ μοχλευτά,
πειθώ τινα ζητεῖν, ὅπως δόξεις λέγειν δίκαια.

Hic respicitur Medeae vs. 1317:

τί τάσδε κινεῖς κἀναμοχλεύεις πύλας;

Porsonus conjecit, in priore recensione Medeae, quam ille extitisse suspicatur, pro πύλας Euripidem λόγους scripsisse, sed locum postea mutavisse, comici scommate permotum.

Ibid. vs. 1415:

κλάουσι παῖδες, πατέρα δ' οὐ κλάειν δοκεῖς
[σὺ χρῆναι; V. Cl. Cobet]

admodum faceta parodia verborum Pheretis ad Admetum in Alcestide Euripidis vs. 691:

χαίρεις ὁρῶν φῶς, πατέρα δ' οὐ χαίρειν δοκεῖς;

Vesp. vs. 111 sq.:

τοιαῦτ' ἀλύει· νουθετούμενος δ' ἀεὶ
μᾶλλον δικάζει.

Schol. docet haec esse conformata ad versum ex Euripidis Stheneboea:

τοιαῦτ' ἀλύει νουθετούμενος ἔρως,

quae ex Plut. Mor. p. 71 A sic emendanda:

τοιαῦτ' ἀλύει· νουθετούμενος δ' ἔρως
μᾶλλον πιέζει.

(Fragm. 668 Dind.)

Ibid. vs. 312 sq. filius dicastae, verens ne hodie desint lites igiturque pater dicasticum non accipiat, sic queritur:

τί με δῆτ', ὦ μελέα μῆτερ, ἔτικτες;

cui pater respondet:

ἵν' ἐμοὶ πράγματα βόσκειν παρέχῃς.

quae verba esse puerorum Minotauro destinatorum in Euripidis Theseo, dicit scholion. Equidem hoc scholion, quod verbis πράγματα βόσκειν adscriptum legitur, malim ad solum priorem versum referre.

Senex addit:

ἀνόνητον ἄρ' ὦ θυλάκιόν σ' εἶχον ἄγαλμα.

respondet filius:

ἓ ἔ, πάρα νῷν στενάζειν.

Hic in risum vertuntur verba Hippolyti, teste scholio similiter in Theseo occurrentia:

ἀνόνητον ἄγαλμ', ὦ πάτερ, οἴκοισι τεκών.

(Fragm. 389, 390 Dind.)

Praeterea addere juvat Hippol. vs. 1144:

ὦ τάλαινα
μᾶτερ, ἔτεκες ἀνόνατα.

quae sunt chori de Hippolyti matre verba. Ad quem locum Valckenarius conferri jubet Hec. vs. 765, ubi Hecuba Agamemnoni roganti:

ἦ γάρ τιν' ἄλλον ἔτεκες;

respondet:

ἀνόνητά γ', ὡς ἔοικε, τόνδ' ὃν εἰςορᾷς.

Ultima loci Aristophanei verba, quae etiam tragico quodam colore tincta sunt, cum Eur. Alcest. vs. 341: μοὶ στένειν πάρα possis comparare; sed verisimile est ea quoque ex Theseo fabula fuisse petita.

Ibid. vs. 750 Philocleon, vehementi judicandi libidine abreptus, sic loquitur:

μή μοι τούτων μηδὲν ὑπισχνοῦ.
κείνων ἔραμαι, κεῖθι γενοίμαν,
ἵν' ὁ κήρυξ φησί, τίς ἀψήφιστος; ἀνιστάσθω.
κἀπισταίην ἐπὶ τοῖς κημοῖς
ψηφιζομένων ὁ τελευταῖος.
σπεῦδ', ὦ ψυχή. ποῦ μοι ψυχή;
πάρες, ὦ σκιερά.

Horum versuum primi efficti sunt ad nobilem ex Euripidis Hippolyto locum, vs. 215 sqq., sed liberius, ita ut verisimile sit, in priore Hippolyti editione hoc canticum magis cum comici verbis congruisse. Quod si statuas, non emendandum erat fortasse scholii lemma: μή μοι τούτων, quem versum cum censeret non Euripideum esse, Valckenarius ad sequentem versum retulit scholion, eumque secutus Dindorfius in scholiorum editione.

Conferatur etiam Alcest. vs. 866: κείνων ἔραμαι, κεῖν' ἐπιθυμῶ δώματα ναίειν, et infra fragm. Arist. 146.

In ultimo versuum citatorum poeta secundum schol. imitatur haec ex Bellerophonte verba (quae emendavit Valcken. Diatr. pag. 166):

πάρες, ὦ σκιερὰ φυλλάς, ὑπερβῶ
κρηναῖα νάπη· τὸν ὑπὲρ κεφαλῆς
αἰθέρ' ἰδέσθαι σπεύδω, τίν' ἔχει
στάσιν Εἰνοδία.

(Fragm. 310 Dind.)

Vesp. vs. 763:

τοῦτο δὲ
Ἅιδης διακρινεῖ πρότερον ἢ 'γὼ πείσομαι.

Schol.: "In Cressis Euripidis Atreus dicit ad Aeropen κρινεῖ ταῦτα." Supple cum Toupio: Ἅιδης διακρινεῖ ταῦτα.

(Fragm. 468 Dind.)

Ibid. vs. 995 sqq.:

Bdelycl.: πάτερ, πάτερ, τί πέπονθας;
Philocleon: οἴμοι, ποῦ 'σθ' ὕδωρ;
Bdel. ἔπαιρε σαυτόν.
Phil. εἰπέ νυν ἐκεῖνό μοι,
ὄντως ἀπέφυγεν;
Bdel. νὴ Δί'.
Phil. οὐδέν εἰμ' ἄρα.

Hae senis querelae tam similes sunt iis, quas Peleus nunciata sibi nepotis morte fundit in Androm. vs. 1076 sqq., ut non dubium sit quin eo comicus respexerit:

Chorus. ἆ ἆ, τί δράσεις, ὦ γεραιέ; μὴ πέσῃς·
ἔπαιρε σαυτόν.
Pel. οὐδέν εἰμ'· ἀπωλόμην.
φρούδη μὲν αὐδή, φροῦδα δ' ἄρθρα μου κάτω.

Ad ultimum horum versuum conformatum esse Nubium vs. 718 mihi non persuadetur a W. Ribbeckio l.l. pag. 288.

Ibid. vs. 1074:

ῥᾳδίως ἐγὼ διδάξω, κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν.

Versus est Euripidis e Stheneboea, sec. schol. De illo loco Euripidis egit Valcken. Diatr. pag. 205—207, qui docet secundam tantum partem hujus versus sumtam esse ex Euripide, hunc autem sic scripsisse (Plut. Mor. p. 622 C):

ποιητὴν δ' ἄρα
ἔρως διδάσκει, κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν.

(Fragm. 666 Dind.)

Ibid. vs. 1159 sq. Philocleon de Laconicis calceis, quos filius ei vult induere, ita exclamat:

ἐγὼ γὰρ ἂν τλαίην ὑποδήσασθαί ποτε
ἐχθρῶν παρ' ἀνδρῶν δυσμενῆ καττύματα;

In altero versu satis manifeste alluditur ad Euripidis in Heraclidis versum 1006:

ἐχθροῦ λέοντος δυσμενῆ βλαστήματα.

Ibid. vs. 1326:

ἄνεχε, πάρεχε.

Scholiasta annotat, vulgo haec verba referri ad illa Cassandrae furore correptae in Troasi (vs. 308 sq.):

ἄνεχε, πάρεχε,
φῶς φέρω, σέβω, φλέγω.

Sed ex vero addit, Troadum fabulam septimo demum post Vespas anno esse actam. (Similis error grammaticorum videatur in schol. ad Avium vs. 348.) Itaque aut nullus aut alius quidam locus Euripideus hic respicitur; hoc verisimile duco propter Avium vs. 1720, ubi vid. quae annotavi.

Ibid. vs. 1482 sqq.:

τίς ἐπ' αὐλείοισι θύραις θάσσει;
— — — — — —
κλῇθρα χαλάσθω τάδε· καὶ δὴ γὰρ
σχήματος ἀρχή,
— — — — — — —
πλευρὰν λυγίσαντος ὑπὸ ῥύμης·
οἷον μυκτὴρ μυκᾶται καὶ
σφόνδυλος ἀχεῖ.

In his nemo puto tragicum non agnoscet colorem; sed scholia non citant tragoediam.

Pacis vs. 76 sq. Trygaeus dicitur ita allocutus esse scarabaeum suum:

ὦ Πηγάσειον, φησί, γενναῖον πτερόν,
ὅπως πετήσει μ' εὐθὺ τοῦ Διὸς λαβών.

Scholiasta citat Bellerophontis ad equum aligerum verba ex tragoedia cognomini:

ἄγ' ὦ φίλον μοι Πηγάσου πτερόν,

quem versum Suidas in voce ἐώρημα supplet, scribens ταχὺ πτερόν.

(Fragm. 308 Dind.)

Ibid. vs. 114 sqq.:

ὦ πάτερ, ὦ πάτερ, ἆρ' ἔτυμός γε
δώμασιν ἡμετέροις φάτις ἥκει,
ὡς σὺ μετ' ὀρνίθων προλιπὼν ἐμὲ
ἐς κόρακας βαδιεῖ μεταμώνιος;

Haec scholiastae videntur expressa esse ad verba ex Euripidis Aeolo:

ἄρ' ἔτυμον φάτιν ἔγνων,
Αἴολον εὐνάζειν τέκνα φίλτατα;

quae alii aliter emendant.

(Fragm. 17 Dind.)

Pacis vs. 119 sic ad verba filiarum, modo praegressa, respondet Trygaeus:

δοξάσαι ἔστι, κόραι, τὸ δ' ἐτήτυμον, ἄχθομαι ὑμῖν.

Quo versu similiter, teste schol., respicitur Euripidis Aeolus, ubi sic legebatur:

δοξάσαι ἔστι, κόραι· τὸ δ' ἐτήτυμον οὐκ ἔχω εἰπεῖν.

(Fragm. 18 Dind.)

Ibid. vs. 124 sq. ita rogant Trygaei filiae:

καὶ τίς πόρος σοι τῆς ὁδοῦ γενήσεται;
ναῦς μὲν γὰρ οὐκ ἄξει σε ταύτην τὴν ὁδόν.

Respondet pater: πτηνὸς πορεύσει πῶλος· οὐ ναυσθλώσομαι.

Locum ex Stheneboea hic derideri dicit scholion, qui tamen exhibetur tam mutilus, ut Dindorfius "insanabilem" censeat. Ex Meinekii emendationibus sic legitur:

πέλας δὲ ταύτης δεινὸς ἵδρυται Κράγος
ἔνθηρος, ᾗ λῃστῆρσι φρουρεῖται πόρος,
κλύδωνι δεινῷ καὶ βροτοκτόνῳ βρέμων.

Beller.: πτηνὸς πορεύσει πῶλος· οὐ ναυσθλώσομαι.

(Fragm. 665 Dind.)

Ibid. vs. 140:

τί δ', ἢν ἐς ὑγρὸν πόντιον πέσῃ βάθος;

Hunc versum ex Bellerophonte sumtum fuisse suspicatus est Porsonus, cui Meinekius adstipulatur.

(Fragm. 665 Dind.)

Ibid. vs. 154 sq.:

ἀλλ' ἄγε, Πήγασε, χώρει χαίρων,
χρυσοχαλίνων πάταγον ψαλίων
διακινήσας φαιδροῖς ὠσίν.

Haec quoque e Bellerophonte esse testatur schol., citatis verbis Euripideis:

ἴθι χρυσοχάλιν', αἴρων πτέρυγας.

(Fragm. 309 Dind.)

Ibid. vs. 528:

ἀπέπτυσ' ἐχθροῦ φωτὸς ἔχθιστον πλέκος.

Deridetur versus ex Euripidis Telepho, quem sic citat schol.:

ἀπέπτυσ' ἐχθροῦ φωτὸς ἔχθιστον τέκος.

(Fragm. 727a Dind.)

Ibid. vs. 721 sq. Hermes sic ad Trygaeum, qui quaerit scarabaeum suum, quo reducatur in terram:

Herm. οὐκ ἐνθάδ', ὦ τᾶν· ἔστι. *Tryg.* ποῖ γὰρ οἴχεται;
Herm. ὑφ' ἅρματ' ἐλθὼν Ζηνὸς ἀστραπηφορεῖ.

Posteriorem versum ex Bellerophonte sumtum esse testatur scholion.

(Fragm. 314 Dind.)

Avium vs. 348:

καὶ δοῦναι ῥύγχει φορβάν.

Haec Asclepiades, scholiasta teste, referebat ad versiculum in Euripidis Andromeda, fabula tamen μηδέπω διδαχθείσῃ:

ἐκθεῖναι κήτει φορβάν.

Qui versus potius ad Thesmoph. vs. 1033 laudandus erat.

(Vid. Dind. proleg. ad fragm. Andromedae.)

Ibid. vs. 829:

πῶς οὖν ἵτ' ἂν γένοιτ' ἂν εὔτακτος πόλις,
ὅπου κτέ.

Conf. Euripid. Suppl. vs. 447:

πῶς οὖν ἔτ' ἂν γένοιτ' ἂν εὔτακτος πόλις,
ὅταν τις κτέ.

Ibid. vs. 1230 Iris dicit se devolare in terram ut homines hortetur sacra ferre

μηλοσφαγεῖν τε βουθύτοις ἐπ' ἐσχάραις
κνισᾶν τ' ἀγυιάς.

Cum hoc loco conferendum est Euripideum fragmentum (630 Dind.):

μηλοσφαγεῖ τε δαιμόνων ἐπ' ἐσχάραις.

Nec veri dissimile est quod Nauckius conjicit, Euripidem addidisse κνισᾷ τ' ἀγυιάς.

Ibid. vs. 1238 sqq. ista Iridis verba leguntur:

ὦ μῶρε μῶρε, μὴ θεῶν κίνει φρένας
δεινάς, ὅπως μή σου γένος πανώλεθρον
Διὸς μακέλλῃ πᾶν ἀναστρέψῃ Δίκη,
λιγνὺς δὲ σῶμα καὶ δόμων περιπτυχὰς
καταιθαλώσῃ σου Λικυμνίαις βολαῖς.

Hic commemoratur Licymnius Euripidis tragoedia, de qua tamen vix quicquam notum est. Versus quos exscripsi omnes nescio quid tragici spirant, ut paene credas esse Euripideos.

Avium vs. 1244 sq.:

φέρ' ἴδω, πότερα Λυδὸν ἢ Φρύγα
ταυτὶ λέγουσα μορμολύττεσθαι δοκεῖς;

Conferendum Pheretis dictum in Alcestide vs. 675 sq.:

ὦ παῖ, τίν' αὐχεῖς; πότερα Λυδὸν ἢ Φρύγα
κακοῖς ἐλαύνειν ἀργυρώνητον σέθεν;

putasne te in vilissimum servum probra jactare?

Ibid. vs. 1720:

ἄναγε, δίεχε, πάραγε, πάρεχε.

Haec verba secundum scholion ducta sunt ex versu Cassandrae furentis in Troasi 308:

ἄνεχε, πάρεχε, | φῶς φέρω,

nec non conferendus est Cyclop. vs. 203:

ἄνεχε, πάρεχε, τί τάδε;

Kockius ex tripode negat hic de imitatione versuum Euripideorum cogitari posse. Sed quidni? Chronologia non obstat, cum Troades anno ante Aves in scena apparuerint. Quod porro verbum πάρεχε vix explicari potest, mihi ostendere videtur non aliam ob causam esse additum a comico, quam ut locus fieret similior versui Euripideo.

Vesp. vs. 1326 similiter legitur ἄνεχε, πάρεχε: haec certe cum versu ex Troasi nihil habent commune; sed suspicor Euripidem, qui bis, ut modo vidimus, in fabulis servatis illum versiculum usurpavit, jam antea idem scripsisse in quodam dramate deperdito, et inde comicum ea verba mutuatum esse loco Vesparum allato.

Lysistr. vs. 155 sq.:

ὁ γῶν Μενέλαος τᾶς Ἑλένας τὰ μᾶλα πα
γυμνᾶς παραυιδὼν ἐξέβαλ', οἰῶ, τὸ ξίφος.

Apte citat scholiasta haec verba ex Andromache Euripidis vs. 629 sq.:

ἀλλ' ὡς ἐχεῖδες μαστόν, ἐκβαλὼν ξίφος
φίλημ' ἐδέξω.

Neque cum W. Ribbeckio (De usu parodiae apud Comicos Ath. 1861, pag. 25) dixerim *Leschae* dictum hîc comico obversatum esse.

Ibid. vs. 706 sq.:

ἄνασσα πράγους τοῦδε καὶ βουλεύματος,
τί μοι σκυθρωπὸς ἐξελήλυθας δόμων;

Scholiasta hos versus ex Telepho Euripidis sumtos esse testa-

tur (fragm. 704 Dind.). — Similiter quae sequuntur tragicum stylum redolent, prasertim vs. 713, quem schol. item Euripideum (et quidem, ut videtur, pariter ex Telepho) esse affirmat:

ἀλλ' αἰσχρὸν εἰπεῖν καὶ σιωπῆσαι βαρύ.

Etiam vs. 716 sq.: ἰὼ Ζεῦ. — Τί ζῆν' ἀϋτεῖς; Matthiae ex eadam scena putabat esse petitos. Totus locus apud Aristophanem sic legitur:

Ch. mul. ἄνασσα πράγους τοῦδε καὶ βουλεύματος,
τί μοι σκυθρωπὸς ἐξελήλυθας δόμων;
Lysistr. κακῶν γυναικῶν ἔργα καὶ θήλεια φρὴν
ποιεῖ μ' ἄθυμον περιπατεῖν τ' ἄνω κάτω.
Ch. mul. τί φής; τί φής;
Lysistr. ἀληθῆ, ἀληθῆ.
Ch. mul. τί δ' ἐστὶ δεινόν; φράζε ταῖς σαυτῆς φίλαις.
Lysistr. ἀλλ' αἰσχρὸν εἰπεῖν καὶ σιωπῆσαι βαρύ.
Ch. mul. μὴ νύν με κρύψῃς ὅ τι πεπόνθαμεν κακόν.
Lysistr. βινητιῶμεν, ᾗ βράχιστον τοῦ λόγου.
Ch. mul. ἰὼ Ζεῦ.
Lysistr. τί ζῆν' ἀϋτεῖς; κτέ.

Ibid. vs. 954—979 aperte tragicum prae se ferunt colorem, et vere Euripideum. Cogitaveram de Admeti in Alcestide querelis, sed non video similitudinem; ad vs. 963 vero annotat scholiasta poetam imitari Euripidis in Andromeda verba:

ποῖαι λιβάδες, ποία σειρήν;

(Fragm. 116 Dind.)

Ibid. vs. 1124 sqq. pulcherrima est Lysistratae ad pacem cohortantis oratio:

ἐγὼ γυνὴ μέν εἰμι, νοῦς δ' ἔνεστί μοι·
αὐτὴ δ' ἐμαυτῆς οὐ κακῶς γνώμης ἔχω,
τοὺς δ' ἐκ πατρός τε καὶ γεραιτέρων λόγους
πολλοὺς ἀκούσασ' οὐ μεμούσωμαι κακῶς.
λαβοῦσα δ' ὑμᾶς λοιδορῆσαι βούλομαι
κοινῇ δικαίως, οἳ μιᾶς ἐκ χέρνιβος
βωμοὺς περιῤῥαίνοντες, ὥσπερ ξυγγενεῖς,
Ὀλυμπίασιν, ἐν Πύλαις, Πυθοῖ — πόσους
εἴποιμ' ἂν ἄλλους, εἴ με μηκύνειν δέοι; —
ἐχθρῶν παρόντων βαρβάρων, στρατεύματι
Ἕλληνας ἄνδρας καὶ πόλεις ἀπόλλυτε.
εἷς μὲν λόγος μοι δεῦρ' ἀεὶ περαίνεται.

In his plura latent Euripidea. Primo testibus scholiis versus

1125 ex Sapiente Melanippe sumtus est (Dind. fragm. 487), et ex Erechtheo vs. 1131, quod tamen cum Nauckio (Fragm. 365 Dind.) rectius referas ad vs. 1135.

Vere ad fragmentum Melanippes scribit Wagnerus: "Schol. "ad vs. αὐτὴ — ἔχω annotat: ὁ στίχος ἐκ σοφῆς Μελανίπ- "πης Εὐριπίδου. Sed reliqui quoque Euripideam orationem "sapiunt, ut eos, si ab Euripide non ita profecti sunt, certe "proxime ad Euripideorum versuum exemplum fictos esse ju- "dicandum sit."

Idem annotat versus Ὀλυμπίασιν — περαίνεται Euripideos videri (quod etiam censet Dindorf. in adnot. ad schol.), et ultimum "aperte Euripidi tributum esse a gramm. in Bachm. Anecd. Gr. I pag. 191, 26." (Dind. fragm. 365.)

Thesmoph. vs. 21:

οἷόν τι που 'στὶν αἱ σοφαὶ ξυνουσίαι.

Imitatio tragici versus:

σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν ξυνουσίᾳ,

quem multi, et inter eos Plato, Euripidi tribuerunt, scholiasta tamen, et recte ut videtur, contendit ex Sophoclis Ajace Locro sumtum esse; addit, satis jejune, fieri posse ut Euripides eundem versum protulerit, ἢ οὖν ἐπίτηδες ἵνα καὶ τοὺς ἄλλους ἐξαπατήσῃ, ἢ συνέμπτωσις Σοφοκλεῖ καὶ Εὐριπίδῃ ἐγένετο. — Plagii Euripidem ab Aristophane oblique coargui jam dixi me non credere in annot. 2 pag. 56.

(Fragm. Soph. 12 Dind.)

Ibid. vs. 120 in Agathonis cantico κρούματα ἀσιάδος (pro κρ. κιθάρας) ab Aristophane petita sunt ex Euripidis Erechtheo.

(Fragm. Eur. 371 Dind.)

Ibid. vs. 177 sq. Euripides sic alloquitur Agathonem:

Ἀγάθων, σοφοῦ πρὸς ἀνδρός, ὅστις ἐν βραχεῖ
πολλοὺς καλῶς οἷός τε συντέμνειν λόγους.

Ex Euripidis Aeolo, ubi ita legebatur:

παῖδες, σοφοῦ πρὸς ἀνδρός, ὅστις ἐν βραχεῖ
πολλοὺς λόγους οἷός τε συντέμνειν καλῶς.

(Fragm. 28 Dind.)

Ibid. vs. 193 sqq:

Agath. Εὐριπίδῃ.

Eur. τί ἔστιν;

Agath. ἐποίησάς ποτε

"χαίρεις ὁρῶν φῶς, πατέρα δ' οὐ χαίρειν δοκεῖς;"

Eur. ἔγωγε.
Agath. μή νυν ἐλπίσῃς τὸ σὸν κακὸν
ἡμᾶς ὑφέξειν· καὶ γὰρ ἂν μαινοίμεθ' ἄν.

Versus quem spectat Agathon est Alcestidis 691; conf. Nub. vs. 1415.

Ibid. vs. 198 sq.:

τὰς ξυμφορὰς γὰρ οὐχὶ τοῖς τεχνάσμασιν
φέρειν δίκαιον, ἀλλὰ τοῖς παθήμασιν.

Sine dubio haec quoque sunt Euripidea. Sed unde sumta? Tacent scholia.

Ibid. vs. 272 Euripides sic jurat Mnesilocho se ei venturum auxilio si adsint pericula:

Eur. ὄμνυμι τοίνυν αἰθέρ' οἴκησιν Διός.
Mnes. τί μᾶλλον ἢ τὴν Ἱπποκράτους ξυνοικίαν;
Eur. ὄμνυμι τοίνυν πάντας ἄρδην τοὺς θεούς.
Mnes. μέμνησο τοίνυν ταῦθ', ὅτι ἡ φρὴν ὤμοσεν,
ἡ γλῶττα δ' οὐκ ὀμώμοκ', οὐδ' ὥρκωσ' ἐγώ.

Primum horum versuum schol. dicit esse ex Melanippe. (Supple: Sapiente, e scholio Ran. vs. 100 emendato, vid. Valcken. Diatr. pag. 49). Ad locum Ranarum laudatum scholion sic citat eundem versum Euripideum:

ὄμνυμι δ' ἱρὸν αἰθέρ', οἴκησιν Διός.
(Fragm. 491 Dind.)

In ultimis respicitur notus ille Hippolyti locus vs. 612.

Ibid. vs. 401 sqq.:

κἂν ἐκβάλῃ (mulier nimirum)
σκεῦός τι κατὰ τὴν οἰκίαν πλανωμένη,
ἀνὴρ ἐρωτᾷ· "τῷ κατέαγεν ἡ χύτρα;
"οὐκ ἔσθ' ὅπως οὐ τῷ Κορινθίῳ ξένῳ."

Deridetur locus Euripideus, quem breviter explicabo ex Athenaei X pag. 427 e, ubi hoc citatur e Stheneboea distichon:

πεσὸν δέ νιν λέληθεν οὐδὲν ἐκ χερός,
ἀλλ' εὐθὺς αὐδᾷ· "τῷ Κορινθίῳ ξένῳ."

Scilicet mos erat ut frustula quae a mensa deciderent in terram, mortuis amicis se tribuere dicerent accumbentes. Hinc Stheneboea, exstinctum putans Bellerophontem, quem ad Jobatem cum letiferis literis missum esse sciebat, si inter coenam mica caderet in solum, eam se Corinthio hospiti (Bellerophonti) dare inquiebat.

Cratinus eadem Euripidis verba lascive ita reddidit:

πίνουσ' ἀπ' ἀγκύλης, ἐπονομάζουσ' (ἀεὶ)
ἴησι λάταγας τῷ Κορινθίῳ πέει.

Cf. Valcken. Diatr. p. 205.

(Fragm. 667 Dind.)

Thesmoph. vs. 411 sqq.:

οὐδεὶς γέρων
γαμεῖν θέλει γυναῖκα διὰ τοῦπος τοδί·
"δέσποινα γὰρ γέροντι νυμφίῳ γυνή."

(Cum his cf. Eccles. vs. 323.)

De loco Euripideo uberius egit Valcken. Diatr. pag. 272 sq.; est fragmentum e Phoenice, servatum apud Stobaeum 71, quod varie est mutatum; simplicissime legitur a Boissonnadio et aliis:

μοχθηρόν ἐστιν ἀνδρὶ πρεσβύτῃ τέκνα
δίδωσιν ὅστις οὐκέθ' ὡραίῳ γαμεῖν·
δέσποινα γὰρ γέροντι νυμφίῳ γυνή.

Wagn.: μοχθηρὸν εἴ τις ἀ. π. τ.
δίδωσιν, ὅσπερ οὐκέθ' ὡραῖος γαμεῖν.
δ. κτέ.

(Fragm. 801 Dind.)

Omnino cum hoc loco comparandum Aristophanis fragmentum 497 Dind.:

αἰσχρὸν νέᾳ γυναικὶ πρεσβύτης ἀνήρ,

quem versum ab Euripide mutuatus est, hujus enim ex Phoenice et Danaë loci a Stobaeo ibidem servati sunt, ubi sic legebatur:

πικρὸν νέᾳ γυναικὶ πρεσβύτης ἀνήρ. —
γυναικί τ' ἐχθρὸν χρῆμα πρεσβύτης ἀνήρ.

(Fragm. 804 et 319 Dind.)

Ibid. vs. 518 sq. Mnesilochus, sub mulieris specie Euripidem defendens, sic orationem concludit:

κᾆτ' Εὐριπίδῃ θυμούμεθα,
οὐδὲν παθοῦσαι μεῖζον ἢ δεδράκαμεν;

quae scholion dicit imitationem esse horum e Telepho verborum:

εἶτα δὴ θυμούμεθα,
παθόντες οὐδὲν μεῖζον ἢ δεδρακότες;

(Fragm. 712 Dind.)

Ibid. vs. 574 sqq. quin aliquam contineant parodiam nullus

dubito; etiam vs. 692 sqq. ad cothurnatum dicendi genus proxime accedunt; sed Euripideos locos quos cum Aristophanis versibus conferrem, frustra quaesivi.

Ibid. vs. 776 sqq.: Ὦ χεῖρες ἐμαὶ κτέ. De hoc loco, in quo Euripidis Palamedes respicitur, cf. supra pag. 40 sq.

Ibid. vs. 855 sqq. Longiorem hunc locum non praetermittendum putavi in parodiarum recensione; Mnesilochus, agens Helenam, et Euripides, suscepta Menelai persona, habent colloquium verbis passim ex Euripidis fabula Helena petitis:

Mnesilochus (Helena).
Νείλου μὲν αἵδε καλλιπάρθενοι ῥοαί,
ὃς ἀντὶ δίας ψακάδος Αἰγύπτου πέδον
λευκῆς νοτίζει μελανοσύρμαιον λεών [1].
Mulier quaedam.
πανοῦργος εἶ, νὴ τὴν Ἑκάτην τὴν φωσφόρον [2].
Mnes. ἐμοὶ δὲ γῆ μὲν πατρὶς οὐκ ἀνώνυμος,
Σπάρτη, πατὴρ δὲ Τυνδάρεως [3].
Mul. σοί γ', ὦλεθρε,
πατὴρ ἐκεῖνός ἐστι; Φρυνώνδας μὲν οὖν.
Mnes. Ἑλένη δ' ἐκλήθην [4].
Mul. αὖθις αὖ γίγνει γυνή,
πρὶν τῆς ἑτέρας δοῦναι γυναικίσεως δίκην;
Mnes. ψυχαὶ δὲ πολλαὶ δι' ἔμ' ἐπὶ Σκαμανδρίαις
ῥοαῖσιν ἔθανον [5].
Mul. ὤφελες δὲ καὶ σύ γε.
Mnes. κἀγὼ μὲν ἐνθάδ' εἰμί· ὁ δ' ἄθλιος πόσις

---

[1] Eur. Helen. vs. 1 sqq. Heroina sic in prologo:
Νείλου μὲν αἵδε καλλιπάρθενοι ῥοαί,
ὃς ἀντὶ δίας ψακάδος Αἰγύπτου πέδον
λευκῆς τακείσης χιόνος ὑγραίνει γύας.

[2] Helen. vs. 569:
ὦ φωσφόρ' Ἑκάτη, πέμπε φάσματ' εὐμενῆ.

[3] Helen. vs. 16 sq.:
ἡμῖν δὲ γῆ μὲν πατρὶς οὐκ ἀνώνυμος,
Σπάρτη, πατὴρ δὲ Τυνδάρεως.

[4] Helen. vs. 22:
Ἑλένη δ' ἐκλήθην.

[5] Helen. vs. 52 sq.:
ψυχαὶ δὲ πολλαὶ δι' ἔμ' ἐπὶ Σκαμανδρίοις
ῥοαῖσιν ἔθανον. (Cf. etiam vs. 609.)

οὑμὸς Μενέλεως οὐδέπω πρόσερχεται [1].
τί οὖν ἔτι ζῶ [2];
Mul. τῶν κοράκων πονηρία.
Mnes. ἀλλ' ὥσπερ αἰκάλλει τι καρδίαν ἐμήν.
μὴ ψεῦδέ μ' [3], ὦ Ζεῦ, τῆς ἐπιούσης ἐλπίδος.
Euripides (Menelaus).
τίς τῶνδ' ἐρυμνῶν δωμάτων ἔχει κράτος [4],
ὅστις ξένους δέξαιτο ποντίῳ σάλῳ
κάμνοντας ἐν χειμῶνι καὶ ναυαγίαις;
Mnes. Πρωτέως τάδ' ἐστὶ μέλαθρα.
Eur. ποίου Πρωτέως;
Mul. ὦ τρισκακόδαιμον, ψεύδεται, νὴ τὼ θεώ,
ἐπεὶ τέθνηκε Πρωτέας ἔτη δέκα.
Eur. ποίαν δὲ χώραν εἰσεκέλσαμεν σκάφει;
Mnes. Αἴγυπτον.
Eur. ὦ δύστηνος, οἵ πεπλώκαμεν [5].
Mul. πείθει τι τῷδε τῷ κακῶς ἀπολουμένῳ
ληροῦντι λῆρον; Θεσμοφύρειον τουτογί.
Eur. αὐτὸς δὲ Πρωτεὺς ἔνδον ἔστ', ἢ 'ξώπιος [6];
Mul. οὐκ ἔσθ' ὅπως οὐ ναυτιᾷς ἔτ' ὦ ξένε,
ὅστις γ' ἀκούσας ὅτι τέθνηκε Πρωτέας
ἔπειτ' ἐρωτᾷς ἔνδον ἔστ', ἢ 'ξώπιος.
Eur. αἰαῖ, τέθνηκε. ποῦ δ' ἐτυμβεύθη τάφῳ;
Mnes. τόδ' ἐστὶν αὐτοῦ σῆμ', ἐφ' ᾧ καθήμεθα [7].

---

[1] Helen. vs. 49 sqq.:
κἀγὼ μὲν ἐνθάδ' εἶμ', ὁ δ' ἄθλιος πόσις
στράτευμ' ἀθροίσας τὰς ἐμὰς ἀναρπαγὰς
θηρᾷ πορευθεὶς Ἰλίου πυργώματα.

[2] Helen. vs. 56:
τί δῆτ' ἔτι ζῶ; Item vs. 293.

[3] Correxit Vir Doct. Kappeijne v. d. Copello ad Pluti vs. 598.

[4] Helen. vs. 68 Teucer ita loquitur:
τίς τῶνδ' ἐρυμνῶν δωμάτων ἔχει κράτος;

[5] Helen. vs. 459 sqq.:
Menelaus: τίς δ' ἥδε χώρα; τοῦ δὲ βασίλειοι δόμοι;
Famula: Πρωτεὺς τάδ' οἰκεῖ δώματ', Αἴγυπτος δὲ γῆ.
Menelaus: Αἴγυπτος; ὦ δύστηνος, οἵ πέπλευκ' ἄρα. Sed suspicor hic quoque πεπλώκαμεν legendum esse, qua perfecti forma Euripides etiam infra vs. 532 usus est; audacius utroque loco has ionicas formas Dindorfius tollit.

[6] Helen. vs. 465:
Menel.: ἔστ' οὖν ἐν οἴκοις ὄντιν' ὀνομάζεις ἄνακ; (Cf. etiam vs. 467.)

[7] Helen. vs. 466:
Famula: τόδ' ἐστὶν αὐτοῦ μνῆμα.

Mul. κακὴ κακῶς τἄρ' ἐξόλοιο κἀξολεῖ,
ὅστις γε τολμᾷς σῆμα τὸν βωμὸν καλεῖν.
Eur. τί δὴ σὺ θάσσεις τάσδε τυμβήρεις ἕδρας [1]
φάρει καλυπτός, ὦ ξένη;
Mnes. βιάζομαι
γάμοισι Πρωτέως παιδὶ συμμῖξαι λέχος [2].
Mul. τί, ὦ κακόδαιμον, ἐξαπατᾷς αὖ τὸν ξένον;
οὗτος πανουργῶν δεῦρ' ἀνῆλθεν, ὦ ξένε,
ὡς τὰς γυναῖκας ἐπὶ κλοπῇ τοῦ χρυσίου.
Mnes. βάϋζε, τοὐμὸν σῶμα βάλλουσα ψόγῳ.
Eur. ξένη, τίς ἡ γραῦς ἡ κακορροθοῦσά σε;
Mnes. αὕτη Θεονόη Πρωτέως [3].
Mul. μὰ τὼ θεώ,
εἰ μὴ Κρίτυλλά γ' Ἀντιθέου Γαργηττόθεν.
σὺ δ' εἶ πανοῦργος.
Mnes. ὁπόσα τοι βούλει, λέγε.
οὐ γὰρ γαμοῦμαι σῷ κασιγνήτῳ ποτέ,
προδοῦσα Μενέλεων τὸν ἐμὸν ἐν Τροίᾳ πόσιν [4].
Eur. γύναι, τί εἶπας; στρέψον ἀνταυγεῖς κόρας.
Mnes. αἰσχύνομαί σε τὰς γνάθους ὑβρισμένη.
Eur. τουτὶ τί ἔστιν; ἀφασία τίς τοί μ' ἔχει [5].
ὦ θεοί, τίν' ὄψιν εἰςορῶ [6]; τίς εἶ, γύναι;
Mnes. σὺ δ' εἶ τίς; αὐτὸς γὰρ σὲ κἄμ' ἔχει λόγος.
Eur. Ἑλληνὶς εἶ τις ἢ 'πιχωρία γυνή;
Mnes. Ἑλληνίς. ἀλλὰ καὶ τὸ σὸν θέλω μαθεῖν.
Eur. Ἑλένη σ' ὁμοίαν δὴ μάλιστ' εἶδον, γύναι.
Mnes. ἐγὼ δὲ Μενέλεῳ γέ σ' ἐκ τῶν ἰφύων.
Eur. ἔγνως ἄρ' ὀρθῶς ἄνδρα δυστυχέστατον.

---

[1] Helen. vs. 528:
Helena: τάφου τοῦδ' εἰς ἕδρας.

[2] Helen. vs. 62:
Helena: παῖς ὁ τοῦ τεθνηκότος
θηρᾷ γαμεῖν με.

[3] Helen. vs. 859.

[4] Helen. vs. 63:
Helena: τὸν πάλαι δ' ἐμὸν πόσιν
τιμῶσα Πρωτέως μνῆμα προςπίτνω τόδε. (Cf. etiam vs. 54.)

[5] Helen. vs. 549:
Menel.: ἔκπληξιν ἡμῖν ἀφασίαν τε προςτίθης.
Sic etiam Herc. fur. vs. 515: ἀφασία δὲ κἄμ' ἔχει. — Iph. Aul. vs. 837: ἀφασία μ' ἔχει, γύναι.

[6] Helen. vs. 72:
Teuc.: ὦ θεοί, τίν' εἶδον ὄψιν;

Mnes. ὦ χρόνιος ἐλθὼν σῆς δάμαρτος ἐς χέρας [1],
λαβέ με, λαβέ με, πόσι, περίβαλε δὲ χέρας [2].
φέρε σε κύσω. ἄπαγέ μ' ἄπαγ' ἄπαγ' ἄπαγέ με [3]
λαβὼν ταχὺ πάνυ.

Thesmoph. vs. 1015 sqq. — In his versibus quae teste schol. ex Euripidis Andromeda sunt hausta literis diductis distinxi. Caetera quoque Euripideum ferunt colorem, et ejus monodiarum imitationem continent; sed quatenus ad ipsa verba Euripidis sint expressa nunc non licet decernere.

[4] φίλαι παρθένοι, φίλαι,
πῶς ἂν ἀπέλθοιμι καὶ
τὸν Σκύθην λάθοιμι;
[5] κλύεις, ὦ πρὸς Αἰδοῦς, σὲ τὰν ἐν ἄντροις,
κατάνευσον, ἔασον ὡς
τὴν γυναῖκά μ' ἐλθεῖν.

---

[1] Helen. vs. 557 sqq.:
Menel.: τίς εἶ; τίν' ὄψιν σήν, γύναι, προσδέρκομαι;
Helena: σὺ δ' εἶ τίς; αὐτὸς γὰρ σὲ κἄμ' ἔχει λόγος.
Vs. 561 sqq.:
Men.: Ἑλληνὶς εἶ τις ἢ 'πιχωρία γυνή;
Hel.: Ἑλληνίς· ἀλλὰ καὶ τὸ σὸν θέλω μαθεῖν.
Men.: Ἑλένῃ σ' ὁμοίαν δὴ μάλιστ' εἶδον, γύναι.
Hel.: ἐγὼ δὲ Μενέλεῳ γέ σ', οὐδ' ἔχω τί φῶ.
Men.: ἔγνως ἄρ' ὀρθῶς ἄνδρα δυστυχέστατον.
Hel.: ὦ χρόνιος ἐλθὼν σῆς δάμαρτος ἐς χέρας.

[2] Helen. vs. 627 sq.:
Helena: ἔλαβον ἀσμένα πόσιν ἐμόν, φίλαι, περί τ' ἐπέτασα χέρα
φίλιον ἐν μακρᾷ φλογὶ φαεσφόρῳ.

[3] Si versus praecedens, λαβέ — χέρας, revera est dimeter dochmiacus, non dubito quin hic quoque eodem metro sit conceptus; levi mutatione, qua simul hiatus ille κύσω, prorsus non ferendus, tollitur, legere velim:
φέρ', ἐμὲ κύσον, ἄπαγέ μ' ἄπαγ' ἄπαγ' ἄπαγε.
Sed ego concoquere nequeo hos dochmios iambis intertextos, et quaedam mihi suspicio est, Aristophanem, joci ergo, hic duos iambicos trimetros scripsisse ex meris syllabis brevibus compositos, ad ridendam versificationem Euripidis, qui in iambis, ut vidimus supra pag. 114, longas saepissime in breves dissolvebat.

[4] Schol. sic citat: φίλαι παρθένοι, φίλαι μοι. (Fragm. 117 Dind.)

[5] Hic quoque Euripidea latent, quae ex scholio misere mutilato Seidlerus sic conformavit:
κλύεις ὦ
πρὸς Αἰδοῦς, σὲ τὰν ἐν ἄντροις,
ἀπόπαυσον, ἔασον
Ἀχοῖ με σὺν φίλαις γόου πόθον λαβεῖν.
(Fragm. 118 Dind.)

[1] ἄνοικτος ὅς μ' ἔδησε τὸν
πολυστονώτατον βροτῶν.
μόλις δὲ γραῖαν ἀποφυγὼν
σαπράν, ἀπωλόμην ὅμως.
ὅδε γὰρ ὁ Σκύθης πάλαι φύλαξ ἐφεστὼς
ὀλούν, ἄφιλον ἐκρέμασεν κόραξι δεῖπνον·
[2] ὁρᾷς ἔμ'; οὐ χοροῖσιν οὐδ'
ὑφ' ἡλίκων νεανίδων
ψήφων κημὸν ἕστηκ' ἔχουσ',
ἀλλ' ἐν πυκνοῖς δεσμοῖσιν ἐμπεπλεγμένη
κήτει βορὰ Γλαυκέτῃ πρόκειμαι.
γαμηλίῳ μὲν οὐ ξὺν
παιῶνι, δεσμίῳ δέ,
γοᾶσθέ μ' ὦ γυναῖκες, ὡς
μέλεα μὲν πέπονθα μέλεος,
ὦ τάλας ἐγώ, τάλας,
ἀπὸ δὲ συγγόνων τάλαν' ἄνομα πάθεα
φῶτα λιτομέναν,
πολυδάκρυτον Ἀΐδα γόον φλέγουσαν,
αἰαῖ, αἰαῖ,
ὃς ἔμ' ἀπεξύρησε πρῶτον,
ὃς ἐμὲ κροκόεν τόδ' ἐνέδυσεν,
ἐπὶ δὲ τοῖσδ' ἐς τόδ' ἀνέπεμψεν
ἱερὸν, ἔνθα γυναῖκες·
ἰὼ μοίρας ἄτεγκτε δαῖμον·
ὦ κατάρατος ἐγώ·
τίς ἐμὸν οὐκ ἐπόψεται
πάθος ἀμέγαρτον ἐπὶ κακῶν παρουσίᾳ;
εἴθε με πυρφόρος αἰθέρος ἀστὴρ
τὸν βάρβαρον ἐξολέσειεν.
οὐ γὰρ ἔτ' ἀθανάταν φλόγα λεύσσειν
ἐστὶν ἐμοὶ φίλον, ὡς ἐκρεμάσθην,
λαιμοτόμητ' ἄχη δαιμόνι', αἰόλαν
νέκυσιν ἐπὶ πορείαν.

---

[1] Scholion:

ἄνοικτος ὃς τεκών σε τὴν
πολυπονωτάτην βροτῶν
μεθῆκεν Ἀιδᾳ πάτρας ὑπερθανεῖν.

(Fragm. 120 Dind.)

[2] ὁρᾷς et quae sequuntur usque ad finem vid. Fragm. 122 Dind.

Thesmoph. vs. 1065 sqq., teste schol., sunt Andromedae prologi initium:

ὦ Νὺξ ἱερά,
ὡς μακρὸν ἵππευμα διώκεις,
ἀστεροειδέα νῶτα διφρεύουσ'
αἰθέρος ἱρᾶς,
τοῦ σεμνοτάτου δι' Ὀλύμπου.
— — — — —
τί ποτ' Ἀνδρομέδα περίαλλα κακῶν
μέρος ἐξέλαχον, θανάτου τλήμων
(μέλλουσα τυχεῖν. — haec cum scholio supplenda.)

(Fragm. 114 et 115 Dind.)

Ibid. vs. 1098 sqq.:

ὦ θεοί, τίν' ἐς γῆν βαρβάρων ἀφίγμεθα
ταχεῖ πεδίλῳ; διὰ μέσου γὰρ αἰθέρος
τέμνων κέλευθον, πόδα τίθημ' ὑπόπτερον
Πέρσευς, πρὸς Ἄργος ναυστολῶν, τὸ Γοργόνος
κάρα κομίζων.

Haec omnia sunt Euripidea, ex duobus locis Andromedae conflata, teste schol.

(Fragm. 123 et 125 Dind.)

Ibid. vs. 1105 sq.:

ἔα, τίν' ὄχθον τόνδ' ὁρῶ καὶ παρθένον
θεαῖς ὁμοίαν ναῦν ὅπως ὡρμισμένην;

Euripides in Andromeda sic scripserat teste schol.:

ἔα, τίν' ὄχθον τόνδ' ὁρῶ περίρρυτον
ἀφρῷ θαλάσσης, παρθένου τ' εἰκώ τινα

supple: ἐξ αὐτομόρφων λαΐνων τυκισμάτων
σοφῆς ἄγαλμα χειρός.

Sed quae Aristophanes habet ab his diversa, sine dubio ex altero loco Euripideo mutuatus est; Nauckius opportune attulit Herc. fur. vs. 1094:

ναῦς ὅπως ὡρμισμένος.

(Fragm. Dind. 124.)

Ibid. vs. 1116 sqq.:

ἀνθρώποισι γὰρ νοσήματα
ἄπασιν ἔστιν· ἐμὲ δὲ καὐτὸν τῆς κόρης
ταύτης ἔρως εἵληφεν.

vs. 1121 sq.:

τί δ' οὐκ ἐᾷς λύσαντά μ' αὐτήν, ὦ Σκύθα,
πεσεῖν ἐς εὐνὴν καὶ γαμήλιον λέχος;

Hos versus nemo non videbit colore Euripideo esse tinctos. Loco priore Aristophanes lepida sed liberiore, ut mihi quidem videtur, imitatione sententiosum Euripidis dicendi genus vertit in risum; quatenus autem ipsa tragici verba hic sint reddita, quis dicat?

Ibid. vs. 1128 sqq.:

αἰαῖ, τί δράσω; πρὸς τίνας στρεφθῶ λόγους;
ἀλλ' οὐκ ἂν ἐνδέξαιτο βάρβαρος φύσις.
σκαιοῖσι γάρ τοι καινὰ προσφέρων σοφὰ
μάτην ἀναλίσκοις ἄν· ἀλλ' ἄλλην τινὰ
τούτῳ πρέπουσαν μηχανὴν προσοιστέον.

Duos priores versus, itemque ultimum et penultimi partem alteram comicus ex Euripidis Andromeda sumsisse videtur (fragm. 144 Dind.). — *Σκαιοῖσι — ἀναλίσκοις ἄν* sunt verba e Medea vs. 299 sq:

σκαιοῖσι μὲν γὰρ καινὰ προσφέρων σοφὰ
δόξεις ἀχρεῖος κοὐ σοφὸς πεφυκέναι.

Ran. vs. 64:

ἆρ' ἐκδιδάσκω τὸ σαφές, ἢ 'τέρᾳ φράσω;

Altera hujus versus pars ex Euripidis Hypsipyle est excerpta auctore schol.

(Fragm. 763 Dind.)

Ibid. vs. 71 sq.:

δέομαι ποιητοῦ δεξιοῦ·
οἱ μὲν γὰρ οὐκέτ' εἰσίν, οἱ δ' ὄντες κακοί.

Secundum schol. hic respicitur locus in Euripidis Oeneo:
(*Diom.*) *σὺ δ' ὧδ' ἔρημος ξυμμάχων ἀπόλλυσαι;*
(*Oeneus*) *οἱ μὲν γὰρ οὐκέτ' εἰσίν, οἱ δ' ὄντες κακοί.*

(Fragm. 569 Dind.)

Ibid. vs. 92 sq.:

ἐπιφυλλίδες ταῦτ' ἐστὶ καὶ στωμύλματα,
χελιδόνων μουσεῖα.

Schol. adnotat respici versus ex Euripidis Alcmene:

πολὺς δ' ἀνεῖρπε κισσός, εὐφυὴς κλάδος,
χελιδόνων μουσεῖον.

(Fragm. 89 Dind.)

Ibid. vs. 105:

μὴ τὸν ἐμὸν οἴκει νοῦν· ἔχεις γὰρ οἰκίαν.

Expressus ad Andromedae versum, quem citat schol.:

μὴ τὸν ἐμὸν οἴκει νοῦν· ἐγὼ γὰρ ἀρκέσω.

(Fragm. 145 Dind.)

Conferatur etiam similis locus in Andromache vs. 237:
Herm.: ὁ νοῦς ὁ σός μοι μὴ ξυνοικοίη, γύναι.

Ran. vs. 282:

οὐδὲν γὰρ οὕτω γαῦρόν ἐσθ' ὡς Ἡρακλῆς.

Schol. dicit esse imitationem versus ex Euripidis Philoctete:

οὐδὲν γὰρ οὕτω γαῦρον ὡς ἀνὴρ ἔφυ.

Conf. Valcken. Diatr. pag. 117.

(Fragm. 786 Dind.)

Ibid. vs. 303 sq.:

ἔξεστί θ' ὥσπερ Ἡγέλοχος ἡμῖν λέγειν·
"ἐκ κυμάτων γὰρ αὖθις αὖ γαλῆν ὁρῶ."

Est versus Euripidis in Oreste 279, ubi histrio, immemor elisionis, ridicule pronunciaverat γαλῆν pro γαλήν'.

Ibid. vs. 465:

ὦ βδελυρὲ κἀναίσχυντε καὶ τολμηρὲ σύ.

Schol. Venet. adnotat haec similia esse verbis Thesei Euripidei in cognomini fabula.

Similiter Euripidem sentis in versibus sequentibus, 470—478:

τοία Στυγός σε μελανοκάρδιος πέτρα
Ἀχερόντιός τε σκόπελος αἱματοσταγὴς
φρουροῦσι, Κωκυτοῦ τε περίδρομοι κύνες,
Ἐχιδνά θ' ἑκατογκέφαλος, ἢ τὰ σπλάγχνα σου
διασπαράξει, πνευμόνων τ' ἀνθάψεται
Ταρτησσία μύραινα· τὼ νεφρὼ δέ σου
αὐτοῖσιν ἐντέροισιν ἡματωμένω
διασπάσονται Γοργόνες Τιθράσιαι,
ἐφ' ἃς ἐγὼ δρομαῖον ὁρμήσω πόδα.

In his haud dubie multa sunt Euripidea, testantibus etiam scholiis, sed ex verbis Aristophanis nequeunt extricari. Locum ex Euripidis Theseo citat schol.:

κάρα τε γάρ σου συγχέω κόμαις ὁμοῦ,
ῥανῶ τε πεδόσ' ἐγκέφαλον, ὀμμάτων δ' ἄπο
αἱμοσταγεῖς πρηστῆρες ὕσονται κάτω.

(Fragm. 386—388 Dind.)

Ibid. vs. 534 sqq.:

ταῦτα μὲν πρὸς ἀνδρός ἐστι
νοῦν ἔχοντος καὶ φρένας καὶ
πολλὰ περιπεπλευκότος,
μετακυλινδεῖν αὐτὸν ἀεὶ
πρὸς τὸν εὖ πράττοντα τοῖχον κτέ.

Citat schol. distichon ex Alcmene Euripidis:

οὐ γάρ ποτ' εἴων Σθένελον εἰς τὸν εὐτυχῆ
χωροῦντα τοῖχον τῆς δίκης ἀποστερεῖν.

(Fragm. 90 Dind.)

Ibid. vs. 838 Euripides adversarium Aeschylum, inter alia convicia, his quoque verbis denotat:

ἔχοντ' ἀχάλινον ἀκρατὲς ἀθύρωτον στόμα,

quae Aristophanes petivit ex Euripidis Melanippe δεσμώτιδι, ubi occurrebat hemistichium: ἀχάλιν' ἔχουσι στόματα (fragm. 495 Dind.); conf. etiam Bacch. vs. 385: ἀχαλίνων στομάτων et Or. vs. 903: ἀνήρ τις ἀθυρόγλωσσος.

Ibid. vs. 840:

Aesch.: ἀληθές, ὦ παῖ τῆς ἀρουραίας θεοῦ;

imitatur Euripides versum:

ἀληθές, ὦ παῖ τῆς θαλασσίας θεοῦ;

quem citat schol. et quem Musgravius ad Telephum, Boeckhius ad Iphigeniam Aulid. refert: undecunque quaesita sint, verba Achillem spectantia malitiose ad ipsum Euripidem transtulit comicus.

(Fragm. 878 Dind.)

Ibid. vs. 844:

καὶ μὴ πρὸς ὀργὴν σπλάγχνα θερμήνῃς κότῳ.

Kockius, recte fortasse, conferri jubet Eur. Cycl. vs. 424:

ἄλλην ἐπ' ἄλλῃ σπλάγχν' ἐθέρμαινον ποτῷ.

Ibid. vs. 931 sq.:

ἤδη ποτ' ἐν μακρῷ χρόνῳ νυκτὸς διηγρύπνησα
τὸν ξουθὸν ἱππαλεκτρυόνα ζητῶν τίς ἐστιν ὄρνις.

Schol. apte citat dictum Phaedrae in Hippolyto vs. 375; conf. Equit. vs. 1290 et Lys. vs. 26 sq.; potest etiam comparari Plauti Mostell. vs. 85.

Ibid. vs. 1182 et 1187:

ἦν Οἰδίπους τὸ πρῶτον εὐδαίμων ἀνήρ,
εἶτ' ἐγένετ' αὖθις ἀθλιώτατος βροτῶν.

Initium prologi Antigones Euripideae, secundum schol.

(Fragm. 157 et 158 Dind.)

Ibid. vs. 1206 sqq.:

Αἴγυπτος, ὡς ὁ πλεῖστος ἔσπαρται λόγος,
ξὺν παισὶ πεντήκοντα ναυτίλῳ πλάτῃ
Ἄργος κατασχών.

Schol. dicit esse qui existiment hos versus continuisse Archelai initium; addit tamen ex Aristarchi auctoritate, tale Archelai exordium non extare, sed fieri posse ut fabula ab auctore postea mutata sit. Hoc quum Wagnerus, adductus causis chronologicis, parum verisimile censeat, mavult statuere "hos versus ab Aristophane ad Euripidis ingenium esse com-"positos"; id quod mihi nequaquam credibile videtur. Bergkius putat solum prologum ab Euripide fuisse mutatum.

(Fragm. 229 Dind.)

Ran. vs. 1211 sqq.:

Διόνυσος, ὃς θύρσοισι καὶ νεβρῶν δοραῖς
καθαπτὸς ἐν πεύκαισι Παρνασὸν κάτα
πηδᾷ χορεύων [*παρθένοις σὺν Δελφίσιν.* Schol.]

Initium Hypsipyles.

(Fragm. 752 Dind.)

Ibid. vs. 1217 sqq.:

οὐκ ἔστιν ὅστις πάντ' ἀνὴρ εὐδαιμονεῖ·
ἢ γὰρ πεφυκὼς ἐσθλὸς οὐκ ἔχει βίον,
ἢ δυσγενὴς ὢν [*πλουσίαν ἀροῖ πλάκα.* Schol.]

Initium Stheneboeae.

(Fragm. 662 Dind.)

Ibid. vs. 1225 sq.:

Σιδώνιόν ποτ' ἄστυ Κάδμος ἐκλιπὼν
Ἀγήνορος παῖς

ἵκετ' ἐς Θήβης πέδον supplet schol., male citans, quum *ἦλθε Θηβαίαν χθόνα* scribendum esset, ut aliunde constat; neque *alterius* ut schol. dicit, sed *prioris* Phrixi hoc est initium.

(Fragm. 816 Dind.)

Ibid. vs. 1232 sq.:

Πέλοψ ὁ Ταντάλειος ἐς Πῖσαν μολὼν
θοαῖσιν ἵπποις [*Οἰνομάου γαμεῖ κόρην.*]

Initium Iphigeniae Tauricae.

Ibid. vs. 1240 sq.:

Οἰνεύς ποτ' ἐκ γῆς πολύμετρον λαβὼν στάχυν,
θύων ἀπαρχὰς [*οὐκ ἔθυσεν Ἀρτέμιδι.* Schol., quae, legibus metricis contraria, alii aliter emendarunt.]

Ex Initio Meleagri.

(Fragm. 520 Dind.)

Ibid. vs. 1244:

Ζεύς, ὡς λέλεκται τῆς ἀληθείας ὕπο,

Melanippes Sapientis initium. — Adde ex Greg. Cor. Rhet. VII pag. 1312:

Ἕλλην' ἔτικτεν,

unde liquet perperam vs. 1245 Dionysum Euripidi dicere: "Cave, jam enim suum lecythium addet"; hic enim annecti non posset.

(Fragm. 484 Dind.)

Ibid. vs. 1309—1322 continent μέλος compositum ad deridenda cantica Euripidis, in quo varii panni ex ejus dramatis consuti sunt; verba, quae ex scholiis patet esse Euripidea, largioribus inter literas designabo spatiis.

[1] ἀλκυόνες, αἳ παρ' ἀενάοις θαλάσσας
κύμασι στωμύλλετε,
τέγγουσαι νοτίαις πτερῶν
ῥανίσι χρόα δροσιζόμεναι·
αἳ θ' ὑπωρόφιοι κατὰ γωνίας
εἰειειειειειλίσσετε δακτύλοις φάλαγγες
ἱστότονα πηνίσματα,
[2] κερκίδος ἀοιδοῦ μελέτας,
[3] ἵν' ὁ φίλαυλος ἔπαλλε δελ-
[4] φὶς πρῳραις κυανεμβόλοις.
μαντεῖα καὶ σταδίους.
[5] οἰνάνθας, γάνος ἀμπέλου,
βότρυος ἕλικα παυσίπονον.
[6] περίβαλλ', ὦ τέκνον, ὠλένας.

Ibid. vs. 1325 sqq. Aeschylus acerbissime:

τοιαυτὶ μέντοι σὺ ποιῶν
τολμᾷς τἀμὰ μέλη ψέγειν,
ἀνὰ τὸ δωδεκαμήχανον
Κυρήνης μελοποιῶν;

---

[1] Secundum schol. ex Iphig. *Aulid.*; sed legendum videtur *Taur.* et respici versus 1089:
ὄρνις, ἃ παρὰ πετρίνας πόντου δειράδας, ἀλκυών, ἔλεγον οἰκτρὸν ἀείδεις.

[2] Ex Meleagro, sec. schol. (Fragm. 527 Dind.)

[3] Ex Electra (vs. 436).

[4] Laterem lavet, quisquis haec disjecti membra poetae in sententiam tolerabilem jungere velit.

[5] Ad illud ex Hypsipyle Euripidis: οἰνάνθα τρέφει τὸν ἱερὸν βότρυν schol. (Fragm. 765 Dind.)

[6] Pariter ex Hypsipyle, schol. (Fragm. 756 Dind.)

Schol. adnotat respici versum ex Hypsipyle:
ἀνὰ τὸ δωδεκαμήχανον ἄντρον.
Suidas in voce *δωδεκαμήχανον* habet *ἄστρον*, quae lectio praeferenda videtur, ut de *sole* dixerit Euripides.

(Fragm. 755 Dind.)

Ran. vs. 1331—1364. — Hic locus, longior quam ut describatur, *monodiarum* Euripidearum parodiam continet. Schol. scribit: *φασὶν ὡς πάντα ταῦτα τὰ ἔπη ἔκ τινος δράματός ἐστιν Εὐριπίδου.* Ille igitur si horum singulorum versuum originem Euripideam indicare non potuit, nobis id ne conandum quidem est. Sed quamquam omnes locos Euripideos qui hic tanguntur digito monstrare non possumus, tamen quo consilio et in quam sententiam scripta sit haec parodia, bene licet perspicere.

Versiculorum brevitate et numeris saepe variatis poeta imitatur Euripidis licentiam in canticorum metris; in verbis quoque Euripideum genus dicendi servatum videmus; notetur modo illud *ψυχὰν ἄψυχον* vs. 1334, et crebra vocabulorum geminatio, *φόνια φόνια* vs. 1336, *ἀνέπτατ' ἀνέπτατ'* vs. 1352, *ἄχε' ἄχεα* vs. 1353, *δάκρυα δάκρυα* vs. 1354, *ἔβαλον ἔβαλον* vs. 1355; monstruoso denique vocabulo *εἰειειειειειλίσσουσα* vs. 1348 ridetur novum inventum in artem musicam introductum, quo plures soni in unam syllabam conferebantur.

Initio monodiae (vs. 1331—1337) ita narratur somnium, ut non difficilis agnitu sit imitatio Hecubae in fabula cognomini visum per noctem sibi oblatum referentis vs. 68 sqq. In caetera parte res perquam triviales verbis sublimibus enunciantur, more Euripideo.

Denique his locis verba Euripidis deprehenduntur:

vs. 1338: *ἀλλά μοι, ἀμφίπολοι, λύχνον ἅψατε.* E Temenidis secundum Apollonium, teste schol. (Fragm. 741 Dind.)

vs. 1339: Ego confero Hippol. vs. 123, quocum componere possis Iphig. Aulid. vs. 182 et Ion. vs. 96.

vs. 1344: *Νύμφαι ὀρεσσίγονοι.* Schol. Asclepiadis auctoritate e Xantriis Aeschyli haec sumta esse affirmat, (fragm. Aesch. 170 Dind.) Valcken. Diatr. pag. 11 huic adstipulatur, sed equidem mihi persuadere nequeo tot pannis Euripideis unum intertextum fuisse Aeschyleum; quid autem statuere vetat Euripidem quoque hac locutione alicubi usum fuisse?

vs. 1356: ἀλλ' ὦ Κρῆτες Ἴδας τέκνα. E Cretensibus Euripidis, sec. schol. (fragm. 474 Dind.)

Ibid. vs. 1382:

εἴθ' ὤφελ' Ἀργοῦς μὴ διαπτάσθαι σκάφος.

Medeae initium.

Ibid. vs. 1391:

οὐκ ἔστι Πειθοῦς ἱρὸν ἄλλο πλὴν λόγος,

[adde: καὶ βωμὸς αὐτῆς ἔστ' ἐν ἀνθρώπου φύσει.]

Ex Euripidis Antigone. (Schol.)

(Fragm. 170 Dind.)

Ibid. vs. 1400:

βέβληκ' Ἀχιλλεὺς δύο κύβω καὶ τέτταρα.

De hujus versus origine inter se dissentiunt grammatici; e contextu vero satis tuto colligere licet ab Euripide profectum esse, et recte videtur Eustathius bis affirmare (pag. 1084 ad Iliad. Π et pag. 1397 ad Od. A) ex Telepho esse sumtum. Euripides igitur in Telepho principes Graecorum tesseris ludentes induxerat.

(Fragm. 880 Dind.)

Ibid. vs. 1402:

σιδηροβρῖθές τ' ἔλαβε δεξίᾳ ξύλον.

Ex Meleagro sec. schol.

(Fragm. 535 Dind.)

Ibid. vs. 1469 sqq.:

Eur. μεμνημένος νυν τῶν θεῶν οὓς ὤμοσας,
ἢ μὴν ἀπάξειν μ' οἴκαδ', αἱροῦ τοὺς φίλους.
Dion. ἡ γλῶττ' ὀμώμοκ', Αἰσχύλον δ' αἱρήσομαι.

et vs. 1474 sqq.:

Eur. αἴσχιστον ἔργον προσβλέπεις μ' εἰργασμένος;
Dion. τί δ' αἰσχρόν, ἢν μὴ τοῖς θεωμένοις δοκῇ;
Eur. ὦ σχέτλιε, περιόψει με δὴ τεθνηκότα;
Dion. τίς οἶδεν εἰ τὸ ζῆν μέν ἐστι καθανεῖν,
τὸ πνεῖν δὲ δειπνεῖν, τὸ δὲ καθεύδειν κῴδιον;

In his Dionysus dicta Euripidea vertit contra ipsum auctorem. Prior locus ad notissimum Hippolyti versum 612 est conformatus. Alter est imitatio versus teste schol. ex Aeolo petiti, ubi Macareus incestûs labem sophismate diluere conatur:

τί δ' αἰσχρόν, ἢν μὴ τοῖσι χρωμένοις δοκῇ;

respondens, ut videtur, ad patris indignantis quae praecesserat quaestionem:

αἴσχιστον ἔργον προςβλέπεις μ' εἰργασμένος;
(Fragm. 19 Dind.)

Denique ridetur locus ille ex Polyido, quem etiam supra vs. 1082 perstrinxerat:

τίς οἶδεν εἰ τὸ ζῆν μέν ἐστι κατθανεῖν,
τὸ κατθανεῖν δὲ ζῆν κάτω νομίζεται;
(Fragm. 639 Dind.)

Plut. vs. 39:

τί δῆτα Φοῖβος ἔλακεν ἐκ τῶν στεμμάτων:

Haec ex Euripide sumta esse testatur schol.

Ibid. vs. 1127:

ποθεῖς τὸν οὐ παρόντα καὶ μάτην καλεῖς,

de Hyla quem Hercules frustra quaerebat, sine dubio ex aliqua tragoedia emanavit, fortasse Euripidea.

Ex **Anagyro** Athenaeus (IV pag. 133b) hanc parodiam affert notissimi loci Euripidei (Hippol. vs. 219, cf. supra ad Vesp. vs. 750):

πρὸς θεῶν, ἔραμαι τέττιγα φαγεῖν
καὶ κερκώπην θηρευσαμένη
καλάμῳ λεπτῷ.
(Arist. fragm. 146 Dind.)

Ε Γεωργοῖς Stobaeus (floril. 55, 2) servavit quatuor versus, quorum hic est primus:

Εἰρήνη βαθύπλουτε καὶ ζευγάριον βοεικόν.

Idem adjecit canticum ex Euripidis Cresphonte (Eur. fragm. 462 Dind.) quod Aristophanes, cum ea scriberet, in mente habere potuit:

Εἰρήνη βαθύπλουτε καὶ
καλλίστα μακάρων θεῶν etc.
(Arist. fragm. 163 Dind.)

Ε **Gerytade** hi versus ab Athenaeo sunt servati (XII p. 551a):

καὶ τίς νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας
ἔτλη κατελθεῖν;

Quis hic non reminiscatur verborum quae initio Hecubae edit umbra Polydori:

ἧκω νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας
λιπών, ἵν' Ἅιδης χωρὶς ᾤκισται θεῶν, etc.

Alio loco (III pag. 112e) Athenaeus ex eadem fabula descripsit hoc distichon:

ἥκω Θεαρίωνος ἀρτοπώλιον
λιπών, ἵν' ἐστὶ κριβάνων ἑδώλια.

Hic quoque obvia est parodia sive dicti Euripidei modo allati, sive initii Troadum:

ἥκω λιπὼν Αἴγαιον ἁλμυρον βάθος
πόντου Ποσειδῶν, ἔνθα Νηρῄδων χοροὶ etc.

(Arist. fragm. 198 et 199a Dind.)

In **Horis** Aristophanes, teste Hesychio, usus est locutione ζεῦγος τρίδουλον, alludens ad ζεῦγος τριπάρθενον (fragm. Eur. 359 Dind.), quibus verbis Euripides in Erechtheo fabula tres hujus regis filias designaverat.

(Arist. fragm. 484 Dind.)

De versu ex ignota fabula Aristophanis:

αἰσχρὸν (vel potius πικρὸν) νέᾳ γυναικὶ πρεσβύτης ἀνὴρ

jam supra ad Thesmoph. vs. 411 sqq. vidimus.

(Arist. fragm. 497 Dind.)

Locus Aristophaneus quem servavit Eustathius pag. 1467:

καὶ κύων ἀκράχολος
Ἑκάτης ἄγαλμα φωσφόρου γενήσομαι,

joculariter effictus est ad hunc Euripidis versum:

Ἑκάτης ἄγαλμα φωσφόρου κύων ἔσει. (Eur. fragm. 959 Dind.)

(Arist. fragm. 535 Dind.)

SUMMARIUM.

PROOEMIUM.....pag. 1— 4.

Diversa hominum studia, hinc vetera colentium, illinc nova sectantium, etiam apud antiquos conspicua pag. 1 sqq.; speciatim in simultatibus quas cum Euripide exercuit Aristophanes pag. 3 sq.

CAPUT I. De causis odii Aristophanis in Euripidem.....„ 5—12.

Quantum illi indole a se invicem discreparent pag. 5 sqq. Reip. anceps conditio pag. 7. Cur Aristophanes odio haberet sophistas et rhetores p. 8 sq.; Euripidi infensus per totam vitam pag. 9, nec lenis in ira pag. 10 sq. Utriusque scripta magna ex parte deperdita pag. 11. Materiae divisio pag. 12.

CAPUT II. Euripides ἄθεος.....„ 13—38.

§ 1. **Quid Aristophanes hac de re dixerit**, pag. 13—20.

Pietas Atheniensium cujusnam esset farinae p. 13 sq. Aristophanem suo modo pro religione certasse pag. 14 sqq. Nubium fabula non modo Socratem sed etiam Euripidem peti pag. 16 sqq.

§ 2. **An jure Aristophanes ita senserit**, pag. 20—23.

Euripides revera incredulus pag. 20; mythos explicabat ex physica pag. 21; candore carebat p. 22.

§ 3. **Quantum Euripidis impietas ejus tragoediis nocuerit**, pag. 23—33.

Tragoedia Attica cum religione arcte conjuncta pag. 23. Regulae Aristotelicae ibid. Moralem tragoediae finem diis sublatis non posse attingi pag. 24 sq. Euripidem se diis credere simulasse pag. 25 sq.; interdum tamen prodidisse quid revera sentiret pag. 26 sqq. Diis in dramate nimium locum tribuit pag. 29, quod probatur ex Oreste pag. 30, ex Electra pag. 31, et ex Andromache pag. 32. Divina omnipotentia et hominum libertas pag. 32 sq

§ 4. **Cur tragoedias, parum tragicas tamen, scripserit Euripides**, pag. 34—38.

Inepta explicatio pag. 34. Euripidem necessitate quadam coactum se contulisse ad opus tragicum p. 34; ejus dramata vicina esse comoediae novae pag. 35, ut ostenditur ex Ione pag. 36 sqq.

CAPUT III. Euripides πολυμήχανος.....pag. 39—51.

§ 1. **Aristophanis loci huc pertinentes**, pag. 39—43.

Hoc Euripidis vitium unde fluxerit pag. 39; saepius ab Aristophane derisum pag. 39 sq., praesertim in Thesmophoriazusis pag. 40 sqq.

§ 2. **De crimine inventionis nimis multiplicis**, p. 43—47.

Cur unitas in arte sit necessaria pag. 43 sqq., nominatim in tragoedia pag. 45; id Euripidem non semper meminisse ibid., quod demonstratur ex ejus dramatis pag. 46 sq.

§ 3. **De crimine inventionis nimis callidae**, pag. 48—51.

Exempla ex pluribus Euripidis fabulis petita pag. 48 sqq.; somnia pag. 50 sq ; interventus deorum pag. 51.

CAPUT IV. Euripides in scena philosophus " 52—66.

Secessum et libros amabat pag. 52. An philosophiae naturali multum deberet pag. 53 sq. Facetiae Aristophanis pag. 54 sqq. Sententiarum ubertas apud Euripidem pag. 59 sq., perperam a multis laudata pag. 60 sq. Ejus personarum docta sed molesta loquacitas pag. 61 sqq. Philosophiae ostentatio in Euripide non probanda pag. 65 sq.

CAPUT V. Euripides in scena rhetor.....“ 67—83.

Hujus criminis gravitas pag. 67. Rhetores civitati Atheniensi summam invexisse perniciem p. 68 sqq. Dicteria Aristophanis pag. 70 sqq. Artis oratoriae crebra apud Euripidem vestigia pag. 75; orationes fabulis intermixtae pag. 76; dialogi forum resipientes pag. 76 sq.; speciosa argumenta pro malis causis pag. 78; nuncii verbosi pag. 79 sq.; nugae etymologicae pag. 80 sqq. Aliquatenus tamen Euripidi ignoscendum pag. 82 sq.

CAPUT VI. Euripides morum corruptor...“ 84—90.

Mira accusatio, profecta ab Aristophane non ita casto poeta pag. 84 sq. Quid tamen sub ea lateat

pag. 86. Euripidem in tragoedia magnum locum concessisse amori et mulieribus ibid., etiam bonis et pudicis pag. 87. Mulierum apud Athenienses conditio pag. 88 sq. Euripides quatenus fuerit mulierum osor pag. 89 sq.

CAPUT VII. Euripides tragicae dignitatis perditor.....pag. 91— 96.

Dicta Aristophanis eo spectantia pag. 91. Heroes claudi, mendici, pannosi pag. 91 sqq. Discrimen inter Euripidem et priores tragicos pag. 95 sq.

CAPUT VIII. Euripides in tragoediis componendis malus artifex.....„ 97—106.

Prologi Euripidei ab Aristophane explosi p. 97 sqq.; quo sensu et quo jure? pag. 98. Cur prologis uteretur Euripides pag. 99, futura quoque edocentibus pag. 100. Multa in iis improbanda esse pag. 100 sqq. Chorum apud Euripidem degenerasse a sua origine pag. 103 sq., et plerumque otiose adstare pag. 104 sqq.

CAPUT IX. Euripides in versibus pangendis novator.....„ 107—115.

Euripidis cantica ab Aristophane probrose notata pag. 107 sq.; magna in iis metrorum et numerorum varietas pag. 109; hac de re quam sit judicare difficile pag. 110. Recentibus modis musicis Euripidem sua carmina accommodasse pag. 111. Ejus monodiae ab Aristophane derisae pag. 111 sqq.; quid in iis revera culpandum pag. 113. Trimetri Euripidei a Sophocleis multum diversi pag. 114. Euripidem etiam in versu ducendo ad comicum genus propius accessisse ibid.

CAPUT X. De parodia locorum Euripideorum apud Aristophanem.....„ 116 sq.

Eam saepe magis jocosam esse quam mordacem pag. 116 sq. Atheniensium sagacitas et felix memoria pag. 117.

Epicrisis compendiaria pag. 118. Aristophanis candida spes et invicta fiducia ibid. Ejus judicium non temere vilipendendum pag. 119.

CAPUT ULTIMUM.....pag. 120—124.

De Euripidis virtutibus poeticis a variis varie judicatum esse pag. 120. Supellectilis literariae abundantia ibid. Beroaldus et Sabinus pag. 121. Barnesius ibid. Valckenarius ibid. Mutata eruditorum mens erga Euripidem pag. 122. Hermannus ibid. Lessingius et Goethius ibid. Hartungius et Pflugkius ibid. Bernhardius pag. 123. Mommsenus ibid Van Limburg Brouwer ibid.

Accedunt loca ex Aristophane versuum Euripideorum parodiam continentia.....„ 125—155.

THESES.

I.

Euripides, ab Aristophane multisque aliis osor mulierum dictus, contra favisse et patrocinatus esse femineo sexui habendus est.

II.

Quod attinet ad utriusque tragoediae structuram, Senecae Hippolytus praeferendus est Euripideo.

III.

Male G. Hermannus censuit, veram explicationem initii Choëphorôn contineri verbis Euripidis apud Aristoph. Ran. vs. 1141 sqq.

IV.

Aristoph. Acharn. vs. 115 sq.:

Ἑλληνικόν γ' ἐπένευσαν ἄνδρες οὑτοί,
κοὐκ ἔσθ' ὅπως οὐκ εἰσὶν ἐνθένδ' αὐτόθεν.

sic velim mutare:

Ἑλληνικόν γ' ἐπένευσεν, ὦνδρες, οὑτοσί,
κοὐκ ἔσθ' ὅπως οὐκ ἔστιν ἐνθένδ' αὐτόθεν.

V.

Aristoph. Pac. vs. 321:

οὐ γὰρ ἂν χαίροντες ἡμεῖς τήμερον παυσαίμεθ' ἄν.

ita videtur legendus:

οὐ γὰρ ἂν χαίρων τις ἡμᾶς τήμερον παύσειεν ἄν.

VI.

Aristoph. Av. vs. 416 pro *πέρα*, quod nihil est, emendetur *τέρας*.

VII.

Aristoph. Ran. vs. 1301 *πορνιδίων* videtur mutandum in *πόρνης δίκην*.

VIII.

Apud Flavium Jos. XVIII, 4, 30 *ἐπὶ Παυλίνῃ* corrigendum est in *ἐπὶ παύλῃ*.

IX.

Luciani III, 4 e textu ejiciantur verba *τοῦ βίου τοῦ πρόσθεν*.

X.

Luc. VIII, 20, 11 verba *ὁρᾷ δὲ ἡδέως καὶ γλαφυρόν τι καὶ προσαγωγὸν ἐμειδίασεν*, sensu cassa, sic videntur refingenda: *ὡραία δὲ ἦδε, καὶ ὡς γλαφυρόν τι καὶ πρ. ἐμειδίασεν*!

XI.

Luc. VIII, 21, 1 pro *ὁμοῦ δὲ τῶν τοσούτων ὑπερφέρειν* legatur: *ὁμοῦ δὲ ὄντων τοσοῦτον ὑπερφέρειν*.

XII.

Luc. XIX, 1 verba *εὔφημον μὲν καὶ τοῦτο, οὐκ ἐν καιρῷ δὲ ὡς οὐ κατὰ τὴν ἕω* virgula critica sunt notanda.

XIII.

Luc. XLIV, 1 in versu:

οὐκ ἔστιν οὐδὲν δεινὸν ὧδ' εἰπεῖν ἔπος

scribatur *ὡς εἰπεῖν ἔπος*.

XIV.

Luc. XLIV, 12 verba *ἅτε δὴ Διὸς παῖδε* ejicienda sunt.

XV.

Luc. XLIX, 26 pro ἐλέγξειεν legatur ἐκτήξειεν.

XVI.

Luc. LXVI, 14 deleantur verba κατὰ τὴν ἐκ Πειραιῶς εἰς τὸ ἄστυ.

XVII.

Luc. LXXIV, 4 verba οἷα τοῖς ἄρτι γεννηθεῖσιν ἐρίφοις τὰ κέρατα ὑποφύεται ex LIV, 1 videntur in textum irrepsisse.

XVIII.

Plat. Phaedon. pag. 65 D φαμέν τι εἶναι δίκαιον αὐτὸ ἢ οὐδέν; Expungatur αὐτό.

XIX.

Plat. Phaedon. 66 B κινδυνεύει τοι ὥσπερ ἁρπάς τις ἐκφέρειν ἡμᾶς μετὰ τοῦ λόγου ἐν τῇ σκέψει. Non solum cum C. F. Hermanno ἡμᾶς, sed etiam μετὰ eradendum est.

XX.

Plat. Phaedon. 72 B ἀλλ' εὐθεῖά τις εἴη ἡ γένεσις ἐκ τοῦ ἑτέρου μόνον εἰς τὸ καταντικρύ. Vocabulum ἡ γένεσις, sensum plane perturbans, delendum est.

XXI.

Horat. Od. IV, 4, 9 pro *paventem* legatur *parentum.*

XXII.

Horat. Epod. 13, 13 pro *parvi* legatur *ravi* (Comm. Cruq. *pravi.*)

XXIII.

Horat. Epod. 17, 66 videtur ejiciendus.

XXIV.

Horat. Satir. II, 2, 38 post versum 22 collocetur. Ibid. vs. 30 legendum videtur *deceptum te patere. Esto.*

XXV.

Catull. 68, 149 malim: *quo potui.*

XXVI.

Propert. V, 5, 40 pro *Litibus alternis* legatur *Dentibus alterius.*

XXVII.

Apud Justinum XI, 1: *in qua aetate ita moderate de se multa pollicitus est, ut appareret plura eum experimentis reservare*, deleatur *moderate.*

XXVIII.

Sophoclem Ol. 93, 3 non vero Ol. 93, 2 mortuum esse, ex compositione Ranarum Aristophanis videtur liquere; apud Bernhardium igitur, Gr. Liter. gesch. II, 2^3 pag. 312 pro **Ol. 93, 2. 406** legatur **Ol. 93, 3. 406.**

XXIX.

De redenering van Plato Phaedon. pag. 70 C—71 E is niet in overeenstemming met de logische wetten.

XXX.

In den Roman der Lorreinen, Eerste fragment, I vs. 45 en vgg. staat:

Ende oec hemelike niet leet,
Hi en liet hem verstaen gereet,
Dathise beide sach te samen.

In den eersten regel leze men: Ende s o e hemelike n i e t e n leet,

XXXI.

Ibid. I, 673:

Soe dat hi bloet maer en ontfloe.

Lees: Soe dat hi bloet maer e n e ontfloe.


This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine of five cents a day is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

DUE APR 14 '39

DUE DEC -7 '49